HISTORIA
REIPUBLICAE MASSILIENSIUM

A

PRIMORDIIS AD NERONIS TEMPORA.

SCRIPSIT

HENRICUS TERNAUX,

PARISIENSIS.

GOTTINGAE

TYPIS FR. ERNESTI HUTH, TYPOGR. ACAD.

MDCCCXXVI.

PARENTI OPTIMO VENERABILI

TERNAUX-ROUSSEAU

SACRUM ESSE

VOLUIT

FILIUS AUCTOR.

PRAEMONITUM.

Ante praefari quicquam nolui; nam ut ipsum se opus legentibus commendet potius cupiebam, quam ut solitis praefationum artibus in mei favorem judicia lectorum corrumperentur. Sed haec ut narrem necessario cogor.

Amplissimus Philosophorum ordo Gottingensis ab juvenibus certamen litterarium apud se inituris dari sibi postulaverat „*historiam reipublicae Massiliensium a primordiis inde ad Neronis tempora,* qua quidem *describerentur, quantum fieri posset, reipublicae forma, leges, foedera, agri proventus et cultura, navigationes, studia liberalia, scholae, tum coloniae a Massiliensibus deductae.*" Ab his pendet scriptio nostra, nisi quod locum de *religionibus et de cultu deorum* nos adjecimus, qui non desiderabatur. Quum enim Ordinis censurae tradita esset, proxime ad palmam accedere judicabatur. Hinc etiam factum est, ut, cum alia narrandi ratio-

ne usuri essemus, ex Ordinis voluntate his potissimum capitibus scriptionem distingueremus.

Ne quid, quod in me esset, omitterem, ingens taedium devoravi, ut scripta paene omnia, quae antiquam Massiliam tangerent, pervestigarem; sed (excipio aliquot libros, de quibus v. nott.) operae pretium non feci; pleraque sunt vana, inania, ridicula, mendacia adeo; tum ab antiquitatis ingenio alienissima. Quas in hoc Oceano guttas ad veram intelligentiam juvantes inveni, vel in usum meum converti, vel certe monstravi.

Singula opera recensere et judicare longum est; v. praeter ea, quae in notis indicavi, cetera ap. Meuselium *bibliotheca historica* Vol. X. P. I. p. 39 - 67.; ea paene omnia suppeditavit instructissima bibliotheca Regia Gottingensis. — Ad Meuselium addere poteris alia opera e Guysii *Marseille ancienne et moderne,* p. 149 sq. et antiquiora multa e Guesnaji *Massilia gentilis* cett. p. 608 - 614. — Ubbo Emmius *de statu et republ. Mass.* in Gronov. Thes. Antt. Gr. T. IV. p. 590. sqq. admodum jejunus est; levissimus autem Hegewisch, *Griech. Colonien* p. 136 — 39. Ceterum, cum hic illic brevior esse deberem, unde uberiora petantur, indicandum ubique curavi.

Scripsi Calendis Augustis Gottingae.

INDEX CAPITUM.

§. 1.

CONDITA MASSILIA.

Rhodanum inter et Alpes, a Druentia ad mare mediterraneum, ea Galliae pars extenditur, quam Romani Narbonensem Secundam appellarunt, nostri *la Provence.* Mirifica hujus coeli benignitas, licet arenosa passim spatia trahantur, modicis ardoribus omnes australium regionum fruges largiter gignit; praeterea pascuorum copiâ numerosi greges ali, in littoribus piscatus fructuosi fieri possunt. Tamen in tanto proventu earum rerum, quae apud omnes gentes maximi aestimantur, tellus frumento et reliquo victu quotidiano summittendo non plane satisfacit cultoribus; unde, praeter opportunitatem maris nautis frequentissimi et incolarum ingenium ac consuetudinem, etiam necessitas ad commercia cum aliis gentibus ineunda cogit.

Obtinebatur hic tractus antiquissimis temporibus ab Liguribus 1), singulari populo, neque cum Iberis cognato, neque cum Celtis. „Montani erant (ut Ciceronis verba mea faciam), duri et agrestes; docuit ager ipse, nihil (ad diurnum victum) ferendo, nisi multa cultura et magno labore quaesitum"; vitam re pecuaria et lignis permutandis sustentabant. Praeterea fortes dicuntur et alacres et bellicosi, in singulasque nationes dividebantur regulis obedientes, quarum ut certus satis recensus difficillimus est, ita inter omnes tamen constat Salyes sive Salluvios 2) principem et opibus et cultu locum tenuisse.

1) De fabulosa eorum aetate et initiis historiae v. copiose et accurate disserentem Heynium in Exc. 1. ad Aeneid. VII. p. 122 sq. ed. 1803. De insequentibus temporibus locos collatos habes apud Tzschuckium ad Melam Vol. III. T. 2. p. 367 sq. inter quos praecipue vide Dissert. XImam Martini in *histoire des Gaules* (Paris. 1752. 2 Voll.), quae, ne singulas virtutes praedicem, inter omnes Francogallorum de antiqua historia scriptiones mirum in modum eminet. — Mannerti *Geogr.* T. 9. P. 1. p. 244 sqq. (ed. 1823.) et circumspecta verba Niebuhrii in: *Römische Geschichte* T. 1. p. 106 sqq. — Ciceronis locus est in orat. de lege agrar. II. c. 35.

2) V. laudatos Oudendorpio ad Caes. B. C. I, 35. Drakenborch. ad Liv. epit. 60. (T. V. p. 1122.) Martin. T. I. p. 175 sq. p. 200. 258. (Bouche, *chorographie de Provence* p. 180-4., multa permiscet.) Fortia d'Urban, *histoire ancienne des Saliens.* Paris. 1805. p. 6 sqq. (in praef. p. 48-69. etiam de Liguribus disseruit.)

In hac terra, inter hos populos constituta est Massilia nostra, cujus jam origines repetimus.

Phocaea (hodie *Palaeo Foja* s. *Phoggia*, vel *Foggia vecchia* [3]), inter Jonica oppida Asiae minoris [4]), Phocensium potissimum colonia [5]), navigationum copia et audacia urbium sororum non ultima fuit. Primi enim Graecorum Phocaeenses, Herodoto auctore, longis navibus usi sunt; primi monstrarunt Adriam et Tyrrheniam [6]), Iberiam adeo et Tartessum. Talis populus fieri non poterat quin in istas

---

3) Hoc vetustiores, ut Harduinus (Opp. select. p. 281.), Pinedus, al., illud post Sponium *Chandler*.

4) De situ ejus et prioribus navigationibus v. frequentes locos ap. Tzschuckium ad Melam V. III. P. 1. p. 511. et Ukerti *Geogr. der Griech. und Röm.* T. I. P. 1. p. 40.

5) Phocaeae origines v. in Raoul - Rochettii *histoire critique de l'etabliss. des colonies Grècques* T. III. p. 94 sq. coll. p. 76. — Ceterum Phocaeam et Phocidem, Phocaeenses et Phocenses non librarii solum, sed ipsi scriptores veteres frequentissime permutant. v. plurimos locos ap. Tzschuckium Vol. III. P. 1. p. 510. P. 2. p. 472. adde Hendreichii Massiliam in Gronov. Thes. Antt. Gr. T. VI. p. 2947 sq. interpp. ad Sil. Ital. I, 335. IV, 52. al., unde sua petiit Jo. Christ. Johannsen, veteris Massiliae res et instituta ex fontib. adumbrata. (Kiliae 1817) p. 8. Sed et ipsius Phocaeae scriptura variat. v. eund. Tzschuck. V. II. P. 1. p. 537 sq.

6) Cf. Mazocchium ad tabulas Heracleens. p. 57. not.

terras colonias etiam deduceret [7]), quibus mercaturae potissimum suae inter tot aemulas civitates consuleret. Et sane primis admodum temporibus societatis, imo amicitiae vincula ipsis commodi mores, urbana et blanda consuetudo, polita ingeniorum agilitas, quae sunt Jonicae virtutes, cum externis regibus junxerant; id quod pauca illa, sed mirificae suavitatis exempla Arganthonii, Tartessiorum regis, et Segobrigiorum Nanni eximie demonstrant. Facilem igitur viam ad constituendas in illis regionibus colonias favore procerum sibi paraverant, tam facilem, ut ipsa coloniarum primordia in amico commercio, quod prius obtinuerat, satis certo definiri hodie vix queant. Etiam in iis locis, ubi postmodum Massilia condita est, sine dubio ante per aliquod tempus mercaturam fecerant; innuit ipse Aristoteles [8]). Tum quicun-

---

7) Valebant enim apud eos coloniarum mittendarum in veteribus civitatibus causae, de quibus v. praeter antiquiores in FABRICII bibliogr. antiq. p. 725 sq. et SANTO-CRUCIUM, RAOUL-ROCHETTIUM in principio operis, et quae hic illic monuit HEYNE in Opusc. T. I. Diss. XIV. XV. a p. 293 sqq. — Colonias Phocaeenses praeter Massiliam habes ap. RAOUL-ROCHETT. Lib. VI. c. 4. et RAMBACHIUM de Mileto p. 23., qui tamen incertas aliquot ei recensui inseruit.

8) Ἐν τῇ Μασσαλιωτῶν πολιτείᾳ ap. Athen. XIII, 36. p. 576. Erat vero ea pars celebratissimi operis de πολιτείαις civitatum, minime peculiaris liber, ut Raoul - Rochette (T. III. p. 409.), Millin, al. opinantur. Utinam NEUMANNI collectio fragg., du-

que ex loco amoenissimo 9), singularium frugum fertili et variis commerciis opportunissimo reversi fuerant, plures subinde eo sollicitavere 10). Quum vero Nannus sive Nanus, Segobrigiorum 11) rex,

dum promissa, prodiisset, unde universam rationem operis, praesertim, quomodo μύθους et poetarum antiquissimorum fabulas tractaverit, magis inspicere et examinare potuissemus!

9) Nam coelum etiam Graeciae Asiaticae simile esse, et per se patet et demonstrat Papon, *histoire de Provence.* Vol. I. p. 500.

10) Justin. XLIII, 3. §. 7. De hujus scriptoris ad rem nostram paene principis fide ut hic statim transigamus: non mendaciorum causa, quorum multi, atque ipse Mannertus (*Gesch. der Nachfolger Alexanders,* in appendice) immerito eum insimulant, sed, quia litterarum magis amans quam sciens ad opus sese accinxit, cautissime ubique versari debemus. Nam et geographiae plane imperitus et verum ingenium historiae ignorans, saepe imprudens vel cogitatione vel memoria fallitur et rerum cohaerentiam „flores legendo" ruptam probabilibus suae menti modis restituere studet. Inde illi errores! Super his praeclare egit *Cl.* Heeren in Commentt. duabus: de Trogi Pompeji ejusque Epitomatoris Justini fontib. et auctoritate. (Commentt. Soc. Goett. T. XIV.) De nostro loco p. 242.: „Massiliae quoque origines ex eodem scriptore (Diocle Peparethio) repetitas esse, si, quam arcte de iis narratio apud Justinum cum Romanorum historia conjuncta sit, perspexeris, admodum probabile est; quamvis si fuerint, qui ad Timaeum potius haec referenda esse contendant, non adversabor." Et sane si, quae Vossius de historicis Gr. L. III. p. 353. indicavit, et in reliquis morem Justini respicimus, hoc probabilius videbitur; neque vestigia Timaei ibi plane evanuerunt.

11) Ita, et Segobriorum Codd. genuini Justini; correcti et editiones in alia abeunt. Quicquid est, erant procul dubio pars Li-

nuptias filiae Pettae seu Gyptis institueret, forte fortuna aderat Phocaeensis Euxenus, hospes regis. Invitatur. Post coenam filia ingressa pateram aqua repletam, omissis procis, huic porrigit 12), atque ita maritum sibi eligit. Hinc fructu amoris percepto pro Petta Aristoxenam vocat Euxenus, et filium ex ea gignit Protin, cujus posteri ad Aristotelis 13) tempora Protiadarum nomine supererant 14).

---

gurum, nunc ignota. v. interpp. ad Justin. XLIII, 3. §. 8. Bouch. p. 185 sq. GUESNAY, Massilia gentilis et christiana (1657) I, 8. §. 4. et p. 88 sq. Nisi *similis in vicinarum gentium nominibus conformatio* et scriptorum interitus deterreret, probarem Paponi post Bouchium correctionem (T. I. p. 499. not.) *Celtoligurium*, quam e Scylace asserit; adjiciendus erat Strabo IV. p. 203. (311. Alm.): „Καλοῦσι δὲ τοὺς Σάλυας οἱ μὲν παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων Λίγυας, καὶ τὴν χώραν, ἣν ἔχουσιν οἱ Μασσαλιῶται, Λιγυστικήν· οἱ δὲ ὕστερον Κελτολίγυας ὀνομάζουσι καὶ τὴν μέχρι Δουρίωνος καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ πεδιάδα τούτοις προςνέμουσι.“ (cf. Bouch. I, 1. §. 2.) Est vero scriptorum, quales Trogus erat, ejusque exemplaria, Theopompus, Timaeus, al., vetusta recentibus, recentiora vetustis nominibus appellare. — Alias emendationes v. ap. MARTIN. T. II. p. 365. — Nomen regis omnes Codd. genuini vitiose exhibent: *Senanum*, et in Cap. sq. *Neranno*. — Filiam Pettam nominat Aristoteles, Justinus Gyptin.

12) „Mos gentis (filiam) electo inter epulas genere nuptum tradere.“ Justin. l. l. V. Boeckh. Explicatt. ad Pindar. Ol. VII. p. 168. Aquam sumsi ex Justino.

13) Ad *Commodi imperatoris* tempora, inquit Martin. T. I. p. 263.; sed errat, dum Athenaei illa verba esse putat.

14) Haec cur tam incredibilia et ridicula videantur acuto viro

Ab hac narratione aliquantum abludit Justinus, ita tamen, ut eandem esse rem continuo pateat. Simon et Protin, „duces classis,“ amicitiam et urbis condendae locum petiisse refert; ibi ad nuptiale convivium vocatos esse; Protin vero, „factum ex hospite generum, facile agrum ab socero accepisse [15].“ Levis est haec pro temporibus tam remotis rerum variatio, et quam dijudicari non opus sit*). Si accuratus esset scriptor Justinus, ex verbis „duces classis“ efficerem, coloniam cum sacris tunc a Proti fuisse deductam. Strabo [16]) enim sine ulla temporis definitione narrat, oraculum Phocaeenses jussisse ab Ephesia dea ducem sumere mittendae coloniae; tum

---

Marinio, *Memoire sur l'ancienne ville de Tauroentum* p. 45 sq., difficile est intellectu.

15) Tributum annuum pro concesso territorio Phocaeenses solvisse, Serpette de Marincourt, *histoire de la Gaule* (Paris. 1822. 3 Voll.) T. I. p. 43. plane comminiscitur, ut multa, quae post refellere omisimus.

*) Simson. in chronico (ed. P. Wessel. p. 583.): „Qui Justino Simos appellatur, forsan est ipse Εὔξενος;“ cett. Quod non est probabile.

16) V. IV. p. 179. (271. Alm.) — Statim adjicimus Cl. Heerenii verba in Comment. I. de fontibus geographicorum Strabonis (Commentt. Rec. Gotting. V. V.) p. 114.: „Fortasse in his Aristotelis opus περὶ πολιτειῶν ante oculos habuerit, quod L. VII. p. 495. laudat. Quicquid sit, e gravissimo scriptore haec petita sunt.“ De *Timagene*, quem ibidem laudat, sane difficillima res est. v. Vales. ad Ammian. M. XV, 9. p. 74. Gron. et infr.

Ephesiae appulsis exortam esse nobilem feminam Aristarcham, quam dea per somnum visa incitaverit, ut sumtis imaginibus sacrorum (ἀφιδρύμοις) colonos duceret et templo condito sacerdotis munia Ephesio plane ritu exsequeretur [17]). Ex Aristotelis igitur narratione post nuptias reginae, ex Justini (ni fallor) ante, factum hoc cogitari debet; sed tum amicitiam et comitatem Nanni in ista potissimum loca Phocaensium cursum vertisse certum est [18]). Protin etiam Plutarchus [19]) *οἰκίστην* Massiliae vocat.

---

17) Ex more fiebat. V. VIII. p. 385 et infra. — Quam maxime doleo, Turlierium aere exprimendam non curavisse monumentum, quod describit in *Memoires de l'Acad. de Marseille.* Tom. IV. (1806) p. 36 sq.: *explication d'un monument antique trouvé à Martigues.* Repraesentari in eo narrat Aristarcham alacriter navigium conscendentem; *ξόανον* eam taeniis involutum ferre, dum Protis e navi sinistram ipsi porrigat, dextra pedes simulacri tangens. Quod profecto verum esse videtur, quantum intelligi potest e delineatione Mylii Tab. 78. Nr. 5. tam rudi, tam male expressa, ut ipse in libro: *Malerische Fussreise durch das südl. Frankreich* T. IV. P. 1. p. 152., nescius dissertationis Turlerianae, ne *ξόανον* quidem cognoverit.

18) Cur Raoul-Rochette p. 411. Aristoxenam et Aristarcham eandem mulierem esse putet, nescio. V. infr. not. 135. Hoc memorabile, plus semel Dianam ex *μαντεύματι* urbis condendae locum monstrare; v. Pausan. Lacon. c. 22. *Auspicem* hanc Dianam dicerem. v. Bentlej. ad Hor. Od. I, 7, 27. p. 30 sq.

19) Vit. Sol. c. 2., ubi certissime cum Vossio ad Justin. XLIII, 3, 8., Caelio Rhodigino ap. Guesnaj. I, 5. §. 2. legendum: „ὡς καὶ ὁ Μασσαλίας Πρῶτις, ὑπὸ Κελτῶν τῶν περὶ τὸν Ροδανὸν

Condita subinde est urbs, et *Μασσαλία* sive *Massilia* nuncupata [20]). Anno ferme sexcentesimo hoc

ἀγαπηθείς." De discrepantia lectionis v. Ruffium, *histoire de Marseille* I, 1. §. 12 sq. et Guesnaj. l. c. Martinum in h. l. bis fuisse negligentem, T. I. p. 265. T. II. p. 299. miror. — Furius et Peranus, de quibus plurimi antiquiorum, Justini editionum ante Jacobum Bongarsium sunt corruptiones, non Codicum.

20) De originatione hujus nominis disputant. Antiqua et poetica ratio est, quam refert Timaeus apud Steph. Byz., ab acclamatione *μᾶσσαι ἁλιεύς*, alliga, piscator! sc. in hoc littore (v. Larcher. ad Herod. I. p. 444. ed. I.). Differt ea, quam nuperrime Sturzius protulit in Etym. Gudiano v. Μασσ. p. 381.: „Φωκαεῖς καταλιπόντες τὴν Ἰωνίαν διὰ τὴν τῶν Περσῶν ἔφοδον, παρεγένοντο εἰς Γαλατίαν· ἰδόντες ἁλιέα, ἐπ' αὐτὸν ἴεσαν, ἑαυτοῖς παρακελευόμενοι Μεσσαλιεῖς· [qui error etiam in codd. Thucydidis] οὗτος δὲ συλληφθεὶς, ἔδειξεν αὐτοῖς οἰκήσιμον τόπον· ὅθεν καὶ Μεσσαλίαν ὠνόμασαν, ἐν ᾗ καὶ ἔλαβον τὸν ἁλιέα." Grammaticus aperte respicit verbum μάσσειν, attingere, quo et Martinierius (ap. Martin. p. 299. T. II.) usus est, ita quidem, ut Μασσ. urbem *conterminam Salyibus* interpretaretur. Male Pontanus ap. Dukerum ad Flor. IV, 2, 24. p. 733. Aliorum sententias v. ap. Guesnaj. l. c. 2. et Hendreich. p. 2951. Veram nondum invenio; nam a celtico *Mas*, domus, et a Salyibus, quod volunt Larcher. l. c., Millin (*voyage dans les departements du Midi de la France* ch. 68.) Sinety in *mém. de l'Acad. de Marseille* T. I. p. 52., Fortia d'Urban *Saliens* p. 8. et quot alii! deducere infirmum est, quia Ligures non loquebantur Celtico idiomate. — Super scriptura nominis v. quae collegit Tzschuck. V. III. P. 2. p. 471. Gentile est et Μασσαλιώτης et Μασσαλιήτης, v. Vales. et Schweighaeus. ad Appian. T. III. p. 140., et ad Athen. Annott. T. I.

[2]

factum esse, recte inter diligentiores convenit 21) 22).

---

pag. 201. Lobeck. ad Phrynich. p. 700. — Apud comicos saepius Ματταλία attice; v. Aelium Dionysium ap. Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 309 sq. Bip. — Μασσαλία in Massiliam mutata est ex analogia plurium verborum, e. c. Ἀκράγας, Agrigentum; in quibus (quod omittunt, qui hanc rem explicant) liquida littera contermina est vocalibus illis; v. Bernecc. ad Justin. IV, 3. Hendreich. Massil. p. 2952. Oudendorp. ad Jul. Obs. c. 92. — De permutatione Massiliae et Massyliae apud Schol. Thucyd. I, 13. et aliquot recentiores ante Raoul-Rochettium p. 413. jam dixerat Erasm. Vinding. in *Hellen.* voce *Massilienses* (Gronov. Thes. T. XI. p. 402.), qui praeterea in hoc loco utile nihil habet, et Vales. Notitia Galliar. p. 320. Sed Scholia Thucydidis admodum recentia sunt. v. Poppo P. II. V. 1. p. 68 sq. Verum nescio quomodo „*tertiam quampiam*" Massiliam nobis suo ingenio condat optimus vir Erasmus in Adag. p. 1937 (ed. 1599 fol.).

21) Nimirum CXX annos ante pugnam Salaminiam, tradiderat Timaeus; v. ceteros scriptt. ap. Raoul-Rochett. p. 408 sq. (cf. omnino Scaliger. ad Eusebium p. 86 sq.). Sed recte Mannert. (*Geogr.* T. II. P. 1. p. 82.): „*Ihr gemeinschaftlicher Gewährsmann ist wohl Timaeus.*" Cum igitur in hujus fide res cernatur, remittendus es ad Goellerum, de situ et origine Syracusar. cum Philisti et Timaei fragmentis (Lips. 1818), qui a p. 187. eximie disputat de fide historica Timaei, p. vero 195 sqq. honorificentissima testimonia de ejus in temporibus notandis diligentia collegit. V. etiam not. ad fragm. dictum p. 262. Larcher. ad Herod. I, 166. et *Chronolog. d'Hérod.* p. 437 sq. ed. nov. Omissis antiquiorum sententiis, quarum bonam copiam referunt Guesnaj. l. c. 3. et Hendreich. p. 2951. has affero: Felix de Carry (*Diss. sur la fondation de la Ville de Marseille.* Par. 1744, quam non vidi) a. 599. (U. C. 154) sta-

Post hoc tempus Massiliae mentio nusquam fit, donec Cyri potentia ad Graecam Asiam exundaverit.

---

tuit, ut cognovi ex Meuselii Biblioth. hist. T. X. p. 59. Ita Heyne in Opusc. T. V. p. 419. Et quis in ejusmodi fundationis historia de uno anno contenderet? Sed aberrant Simson. Chronic. p. 383. ponens a. 597, magis *des Mandajors* in Dissert. ap. Meusel. l. c., qui a. 603 habet; omnium apertissime Hyginus ap. Gellium X, 26. ubi cf. putationem Gronovii. Cf. Johannsen. p. 10 sq. cui quomodo acciderit, ut a Justino Superbum Tarquinium memoratum judicaret (p. 13.), nescio. —

22) Ceterum non tam pacatas fuisse Massiliae origines, Livius auctor est, V, 34. q. v. Sed confusum hic esse adventum cum insequentibus bellis, quae inter exteros famam majorem concitare solent, etiam Lachmanni (in Comment. I. de fontib. Livii, p. 22 sq.) probissima demonstratio, ex qua Transpadanorum famam et variarum urbium ἐπιχωρίους γραφὰς secutum eum esse probabile fit, ostendere videtur. Neque ad bellorum ab Justino relatorum constitutionem chronologicam ex hoc loco quicquam lucramur. Hinc Papon. I. p. 502. insidias Comani ab Livio memoratas putat, quas averterit scilicet Bellovesus; Martinus vero T. I. p. 35 et 252. conditae Massiliae annum firmiter tenet. Etiam Radloffius (*Neue Untersuchung. des Keltenth.* 1822, p. 119.) turbata quaedam esse in hoc capite animadvertit. Niebuhrius tamen (*Röm. Geschichte* Tom. II. p. 259.) haec Livii pro mero commento rejicere videtur. Mihi vix dubium est, quin bellorum inter Ligures sive Salyas et Massilienses, quae tempora obruerunt, aliquod hic designetur, rumor vero adventum Graecorum admiscuerit, quia tum primum inter exteros, quorum hanc historiam esse apparet, cognita esse potest peregrinitas ejus gentis. Operam puto lusit Martinus, qui T. I. p. 255 sqq. diligentissime id agit, ut Graecos scriptores cum Livio conciliet. Neque verisimiliter Dan. Ritterus

Ibi Harpagi (aliis Harpali) et armis et conditionibus magnanimi resistentes, cum ille paullum se ex ipsorum consilio recepisset, liberos et uxores cum sacris et utensilibus omnibus in naves conjecere et Chium petierunt. Neque tamen hic insulas Oenussas, quas cupiverant, sedem impetrantes, Alaliam (hodie *Ajazzio*) in Corsica 23) tendunt. Prius autem in patriam reversi, caede in Persas edita, magnis exsecrationibus et votis rite 24) susceptis capita eorum, qui remanerent, devoverunt. Nihilo minus pars tantum, Creontiadam 25) sequens, aliis ob desi-

---

(*Gesch. der Gallier* p. 368 sq.) Bellovesi timore Salluvios agrum Massiliensibus concessisse cett. perhibet.

23) Quae viginti annis ante jubente oraculo a Phocaeensibus constituta erat; v. Herod. I, 165. unde universa haec narro. De nomine et historia hujus coloniae v. Diodor. V, 13. post emendatt. Palmerii et Wesselingii, et laudatos ap. Tzschuckium ad Melam V. II. P. 2. p. 599. V. III. P. 2. p. 818. cf. Raoul-R. p. 413 sq.

24) Non prius se redituros spondent, quam massa ferrea, in mare demissa, iterum emergeret; v. Herod. l. l., ubi v. Larcher. Inde proverbia de Phocaeensium exsecratione, v. Erasm. Adag. p. 568 et 561. Cl. Mitscherlich. ad Horat. Epod. XVI, 17. (Johanns. p. 17.)

25) Hunc servavit Strabo VI. p. 252. (388.) ex Antiocho, de quo v. Cl. Heeren., fontes Str. p. 120. Verba: μετὰ Κρεοντιαδοῦ indicare videntur, compertum fuisse Straboni divisionem Phocaeensium; μετὰ enim τινὸς εἶναι vulgo dicuntur sectatores partium aliquarum, ut Thucyd. II, 56. VII, 33. Demosth. pro

derium sedum antiquarum perjuris, Alaliam pergit et sacra ibi collocat (a. 542.); tamen aliam copiam simul in Massiliam vectam esse, verisimillimum videtur [26]). Illi subinde piraticam, iis temporibus non inhonestam [27]), exercent, et post quinque annos a Tyrrhenis et Carthaginiensibus, foedere junctis [28]), CXX navium classe potentissima, dimidiam ipsi copiam in altum producentes, hostiliter petuntur. Tamen repellunt hostes [29]); sed iterato impetui impares cum uxoribus et liberis et omni suppellectili

---

cor. p. 332. R. Haec vero divisio erat inter *τοὺς δυναμένους* (sc. *ἐμβῆναι ἐς τὰ σκάφη πανοικίους*) et eos, qui, ob egestatem puto, non valebant. *Ἀλαλίαν* ibi contra Casaub. et Erasm. Vindingium (Hellen. in Gronov. Thes. T. XI. p. 391.) equidem retinuerim, quamquam negligentiae tum insimulandus esset Strabo, quippe qui omiserit necessaria verba: *τῆς Κύρνου* post *ἀποκρουσθέντας*. Nam eos a Massilia fuisse repulsos, quomodo tandem nobis probabit Larcher. ad Herod. T. I. p. 445.? Ceterum recte hoc repudiaret Fr. Muenter in libello: *Velia in Lucanien*, 1818. p. 11., si intelligi ita voluisset Strabo.

26) Millinio ap. Mylium (*Malerische Fussreise* cett. T. IV. P. 1. p. 171.) *Rhegio* eos Massiliam contendisse probabile est. Cf. Uckert. Geogr. T. I. p. 1. p. 55.

27) v. locc. in Muenteri *Velia* pag. 12. not.

28) cf. Boeckhii Explicatt. ad Pind. Pyth. I. p. 236.

29) Pugna facta a. 536, non, ut Larcher., a. 535; v. Cl. Heeren, *Ideen* T. II. P. 1. p. 81. Praeterea de numero navium Herodotum falso intellexit Larcher. T. I. p. 441.; de receptu Carthaginiensium v. Schweighaeuser. ad loc. Herod.

Rhegium concedunt, unde de antiquo oraculo jam recte moniti Veliam condunt[30]). Ita gesta narrat Herodotus, quem omnes mirantur mentionem non facere neque Massiliae conditae, neque ejus Phocaeensium copiae, quae tum sive a Phocaea sive ab Alalia, duce Creontiada, Massiliam navigaverit[31]). Tamen dubitari plane non potest, quin illo tempore tantum in modum habitatoribus aucta fuerit Massilia, ut pro initiis urbis a plurimis et satis quidem gravibus auctoribus[32]) haec Persarum fuga haberetur

---

30) V. Mazocchium in Collect. III ad. Tabb. Heracleens. pag. 516 sq., addendum ad Herodoti interpretes, et praeter Mueuterum Raoul-Rochett. T. III. p. 424 sqq.

31) Posterius quidem vehementer mirandum est; sed principia hujus urbis delineare non licuisse Herodoto, ex instituto ejus ostendit Schweighaeuser. Annott. T. V. p. 167, et abutitur sine dubio silentio Herodoti Haackius ad Thucyd. I, 13.

32) V. eos inter cumulum laudatorum ap. Raoul - Rochett. T. III. p. 412. not. 2. Addas Isidorum in Originibus XV, 1. p. 201., qui ex historico rhetore, Pompeji Trogi simillimo, hausit; Photii Lex. v. Μασσαλία. p. 183. Herm., qui Aristotelem adeo id confirmantem facit, Harpocrationem tamen recte dicentem negligenter excerpens; Etym. Gud. laud. not. 20. De Agathia cf. praeter Raoul - Roch. p. 414. not. 3. Larcher. ad Herod. I. p. 445. Et recepta quidem videtur ea opinio postmodo scriptoribus fere omnibus; nam altera non amplius auditur. Illorum scriptorum aliquos confutavit et origines errorum significavit Schweighaeus. ad Herod. I, 166. (T. V. p. 167.) Verumtamen memorabilia videri possent verba scholiastae in Pom-

tur. Thucydides adeo Phocaeenses dicit, dum Massiliam conderent, Carthaginienses navali pugna vicisse [33]; sed hanc amplificationem Massiliae, unde paene dixerim primum nomen ejus pervenit in Graeciam, eum pro *οἰκισμῷ* sumsisse non dubito. Aliud vero praelium intelligere Thucydidem, non illud, quod modo retulimus [34], credibile est, licet non contenderim equidem.

Ita matris urbis flos in Massiliam translatus! —

---

ponium Melam, quem bis laudat Guesnaj. p. 5. et 8.: „Massilia sexcentis et amplius annis ante Christum exstructa, *tum diruta et iterum instaurata* a Phocaeensibus, qui Harpagi dominationem fugientes in hunc sinum pervenerunt.“ Sed fefellit Guesnajum inscriptio notarum Muensteri (ed. 1538.): *Scholia*, ut demonstravit Tzschuckius in dissert. de Pompon. Mela p. 139. coll. p. 100 et 104. — Ceterum recte jam haec duo conciliaverat Martinus, in *les origines Celtiques et Gauloises* p. 159., q. l. legas in *hist. des Gaules* T. I. p. 252. not. cf. 257. Mirum, vituperatis adeo Eusebio et Scaligero, annum 539 obtinere potuisse Petavium. (doctr. tempp. T. II. p. 308.) Rixa denique, quam Johanns. p. 10. 15. Raoul - Rochettio ciet, in verbis potius, quam in rebus est.

33) Thucyd. I, 13. cujus sententiam jugulavit Dionys. Hal. p. 856., dum excerpsit: *οἱ Φ. οἱ Μασσαλίαν οἰκίσαντες.* — Pausan. X, 8.: „*Γενόμενοι δὲ ναυσὶν ἐγκρατέστεροι Καρχηδονίων, τήν τε γῆν, ἣν ἔχουσιν, ἐκτήσαντο καὶ ἐπὶ μέγα ἀφίκοντο εὐδαιμονίας,*“ qui bonis fontibus uti ubique consuevit.

34) Auctore quidem Simsone in Chronic. p. 652., et Larcherio ad Herod. T. I. p. 442. 445., quocum consentit Schweighaeuser.

EXCURSUS I.

DE SITU URBIS.

Originibus Massiliae, quantum per scriptorum labem fieri poterat, repetitis et exstructione relata, ut paucis de situ urbis et de aedificiorum ratione dicamus, res monere videtur. Plenam enim et accuratam locorum descriptionem, qualis libri Grossoniani [35]) et plerarumque de Provincia scriptionum

Rationem ille ducit ex silentio Herodoti, ex debilitate aegre vincentium, et ingenti incremento Massiliensium. Sed debilitas ad apparatum spectat, quo Massilia minus fortasse egebat, — certe facilior erat ad instruendum, quam sterilis Corsica; hinc copia virorum nescio an satis eam auxit et patria urbs huc translata nomen amplificavit. Herodoti silentium omnium difficillimum est; tamen in aliis quoque historiis omittit, quae pro more ejus confidenter ab ipso exspectares. Alia vestigia scriptorum mihi inventa non sunt; vagas itaque conjecturas premo. Etiam Heynius cautissime de hac re loquitur, Opusc. T. III. p. 45., praecip. not. 12., ubi locis modo laudatis hoc addit: „modo ne Phocaeensium pugna in duas abiit. Audiendus tamen Justinus XLIII, 5. Videtur ex manubiis hujus victoriae fuisse Apollo Massiliensis Delphis dedicatus. Pausan. X, 18. p. 841. F.“ Adde T. V. p. 419 et 423. Perversissime hic omnia miscet Johanns. p. 19.

35) *Recueil des antiquités et monuments Marseillois.* Massiliae. 1773. cujus auctor, si a quibusdam aetatis illius erroribus, graecae linguae imperitia et nimia ad credendum facilitate discesseris, prudentem ubique et intelligentem virum se praebet.

ope, deinde recentiorum peregrinatorum, quorum vel potiores libros commemorare longum est, subsidiis non difficulter institui posset, commentationis hujus fines non capiunt. Hodiernam igitur Massiliam plane mittentes veterum notationibus unice inhaerere decrevimus.

Condita est urbs in sinu Galatico ad meridiem spectante 36), campo lapidoso; „in profundum mare prominens et munitissimo portu accincta, in quem angusto aditu meridianus refluit sinus, solis quindecim millibus passuum terrae cohaeret, qua firmissimus et turribus frequens murus opponitur“ 37). Hinc Caesar 38): „Massilia fere ex tribus oppidi partibus mari alluitur; reliqua quarta est, quae aditum habet a terra.“ Haec telluris in mare prominentia sive lingua, aedificiis consita, portum efficit 39), in uni-

36) Verba Strabonis II. p. 128. (190.)

37) Verba sunt Eumenii, Panegyr. ad Constantin. August. c. 19, 1. de quibus v. Gronov. ad Melam V. II. P. 2. p. 384. Tzschuck. Martin. T. I. p. 271. Cum Vossio errat Ernest. Clav. Cic. v. Massilia. — De muro cf. Valesium in Notit. Galliar. p. 319 et Johannsen. p. 24 sq.

38) B. C. II, 1.

39) Hinc Mela II, 5.: „Lacydon, Massiliensium portus, et *in eo ipsa Massilia*,“ ad quem v. omnino Gron. l. l.

verso illo tractu excellentissimum 40); rotundus est, in theatri formam cavatus 41) et in meridiem versus, proprio nomine *Lacydon* 42) dictus. Attingebant portum navalia (νεώσοικοι)*). Ab altera parte montes moenia urbis prope accedunt 43). Ad littus spectabat non multum edita arx, quae templa Deorum urbis tutelarium, Dianae, Apollinis, et (ut infra conjicimus) Minervae ferebat 44). Praeter ea

---

40) Ita Strab. IV. p. 184. Sed omnia ingentium hujus portus laudum plena.

41) Strabo IV. p. 179. c. not. Casaub.

42) Vulgo *Halycidon;* sed recte jam Guesnay I. c. 4. §. 2. Plura Tzschuck. ad Melam V. II. P. 2. p. 382 sq. Rem conficit nummus, quem accuratius Papone et Grossone exhibet Mionnetus (Nr. 144.) in Tab. X. Nr. 10. ad Suppl. T. I.; virum, vultu infimorum agrestium deorum simili, cornu in fronte armatum, V. D. p. 136. pro Rhodano habet; cur non portus numen esse dicamus ex inscriptione: ΛΑΚΤΔΩΝ? De mutationibus portus v. auctores ap. Hendreich. p. 2957. Tzschuckium ad Melam V. III. P. 2. p. 470 sq. et innumeros scriptores Gallos, praecipue ex Societate litter. Massiliensi. Sed quomodo haec cum egregii et, si quis unquam, diligentis viri, de Hoffii, judicio, et portum Massiliensem et omnem oram illam per duo millia annorum nihil quicquam immutatam esse, conciliem, profecto non habeo. (V. *Gesch. der Veränderungen der Erdoberfläche.* T. I. p. 286. 472.) V. Marinium *sur Tauroentum* p. 200-232.

*) V. Johannsen p. 26.

43) Patet e Caesare B. C. II, 5. cf. 16.

44) Strabo IV. p. 179. al. v. infr.

memorabiles locos urbis, angustioris quidem, quam hodierna[45]), non novimus. Cingebant eam amoenissimi horti[46]). De regionibus adjacentibus universoque agro Massiliensi infra dicendi aptior erit locus.

EXCURSUS II.

DE AEDIFICIIS.

Quod in urbibus Graecis praeter eas, quas Alexandri M. aetas protulit, fere omnibus usu venit, id quam maxime Massiliam tangit. Aedificia privata angusta admodum erant et misera structura. Ut in Gallia universa domus conditae erant ramis arboreis, tectae scandulis roborum aut stramentis[47]), ita Massiliae etiam Augusti aevo „animadvertebantur aedificia sine tegulis, subactâ cum paleis terrâ tecta“[48]). Neque exclusus erat puto Gallicus aedi-

---

45) V. d'Anville Geogr. p. 440. et Grosson. multis locis.

46) V. Hendreich. p. 2954.

47) Vitruv. II, 1. Imaginem cernas in ed. Itala Galliani Tab. III. fig. 2.

48) Vitruv. l. l. Inde sua habuit Alexander ab Alexandro, de quo vanae sunt dubitationes Hendreichii p. 2952. Sed conferas passim sparsa in Dulaurii Dissert. *des cités, des lieux d'habitation, des forteresses des Gaules, de leur Architecture avant la conquête des Romains*, in: *Mémoires de la Société royale des antiq. de France* T. II. p. 82-142., imprimis p. 131 sq.

ficandi modus, quem Strabo 49) ita describit: „Domos e tabulis et cratibus construunt rotundas, grandi imposito fastigio."

Quae aedificationis Massiliensis specimina, sive potius reliquias Grossoni debemus, iis fere nihil docemur; nam altera e temporibus nimis incertis, altera aperte e sequioribus servata sunt 50). Et profecto maxime dolendum, nulla fere architecturae monumenta ad nos pervenisse 51). De Romana aetate Strabonis est testimonium, portum pulchre structum esse et totam urbem 52). Nam sensim quasi nobilitatam eam esse, infra videbimus.

Publica aedificia quae esse debuerint in tali urbe, facile judicare possumus. Condendi praeterea

---

49) IV. p. 197. Adde Martini Observatt. *sur la Geographie et Topographie des Gaules* p. 27-57. in: *hist. des Gaules* T. II. ubi p. 33 sqq. de Massilia. V. Serpette de Marincourt, *hist. de la Gaule.* T. III. p. 388 sqq.

50) v. p. 217-230. Tab. 34 et 35. aetatis admodum incertae, Tab. 36. procul dubio inferioris, quod cum aliunde, tum ex inscriptione p. 267 sqq. perspicue apparet.

51) Neque adeo per devastationes barbarorum exspectari poterat; v. abbatem d'Aillaud, *sur l'ancienneté de Marseille* p. 28., laudante Gutsio, *Marseille ancienne et moderne.* Paris. 1786 (p. 20.) qui liber nihil continet, nisi ventosas declamationes, verum augendo minuendo detorquentes. V. Mylius, *Fussreise.* T. IV. P. I. p. 158. 163 sq.

52) IV. p. 179. (270.)

haec opportunitas accessit, quod saxosus campus in propinquo lapicidinas praebebat [53]). Clarorum aedificiorum praeter Arcem et templa deorum, navalia et armamentarium, nulla diserte memorantur [54]).

§. 2.

MASSILIAE HISTORIA AD CAESARIS EXPUGNATIONEM.

Condita et aucta Massilia, mortuo rege amico, diu multumque sollicitabatur ab Liguribus; disertius adeo ex antiquissimis his bellis ab Justino nobis duae traduntur historiae, quarum vero tempora ambigua sunt [55]). Nanni filius *Comanus* [56]), affir-

53) Strabo IV. p. 181. (274.)

54) v. Strabo IV. p. 179 sq. De templorum parietinis v. Grosson p. 105 sqq. et alibi. *Aquaeductuum* ruinas vidit Paulus Merula, Cosmogr. p. 595. De *thermarum* reliquiis cf. Oberlini Monumenta orbis antiqui p. 36. — *Amphitheatri* vero, quod extitisse ibi contenderat cum aliis etiam Valesius, ne minima quidem indicia deprehendere potuit Maffeus. (V. *de amphitheatris et theatris Galliae*, 1728. in Poleni Thesaur. Tom. V. p. 361.)

55) Nam (ut de priore dicamus) quot annos regnaverit Nannus, et an regno inito Comanus statim commiserit hoc bellum, juxta incertum est. Tamen *ante* alteram coloniam haec gesta statuerem; nam numerorum in copiis bellicis (§. 10.) rationem

manti cuidam, vi aliquando ab advenis oppressum iri Segobrigios, nisi incrementis Massiliae obviam eatur, fidem adhibet, et per festum diem multos hostes diversis modis latenter in urbem invehit, ipse cum exercitu in insidiis se locat, ut somno vinoque obrutam urbem invaderet. Sed, detectis a muliere regis cognata fraudibus, hostes, qui in urbem se insinuaverant, interficiuntur; rex ipse, vicissim structis insidiis, cum septem millibus militum perit. „Post haec, pergit Justinus, magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis fuere bella" *). Quae licet verbis paulum ornata sint, aliis tamen etiam indiciis et re ipsa certaminum cum istis populis commissorum veritas probatur. Deinde neque cum Carthaginiensibus quiescere poterant bella, „quos saepe fuderunt, et pacem victis dederunt" 57). Sed singula gesta scriptorum interitu in tenebris posita sunt. Unus Justinus ut singulare narrat, bellum iis

---

hic habendam non esse, norunt vetustatis periti. Martin. T. I. p. 296 sqq. ponit annum 572.

56) Non dubitabimus de nominis hujus integritate, si *Comonas*, populum illius regionis ap. Ptolem. II, 10. al. et oppidum *Comacinam* in Plin. III. prope fin. in animum revocamus. Uberior narratio est Justini XLIII, 4.

*) Quae hic dicantur nationes singulae, eas indicavit Valesius p. 320.

57) Verba Justini XLIII, 5. §. 2.

aliquod de captis piscatorum navigiis ortum esse [58]). Aliquod tempus ante expugnatam a Gallis Romam, a. ferme 400, Ligurum gentes, quae urbem cingebant, ad delendum nomen Massiliensium in unum sese jungunt, ducemque unanimi consensu sibi eligunt Catumandum regulum; sed is, dum obsidione labefactat urbem [59]), per quietem torvo vultu mulierem vidit, a qua exterritus, ultro pacem fecit cum Massiliensibus, deinde cum intrare urbem et deos adorare ipsi concessum esset, conspecta in templo Minerva, Illam, exclamat, nocte conterruisse se, illam ab obsidione repulisse. Inde gratulatus Massiliensibus, quod tantum in modum curae essent immortalibus, torquem aureum dicavit deae et perpetuam amicitiam cum Massiliensibus junxit [60]) [61]).

---

58) Ponit hoc a. 397. Martin. T. I. p. 335. ubi v. not.; sequitur hunc Serpette de Marincourt, T. I. p. 65., ut in his ubique solet.

59) Parum verisimiliter Grosson. p. 132. huc trahit illud Frontini I, 7. §. 4., ad funes conficiendos mulieres Massiliensium in aliqua obsidione crines sibi desecuisse. V. infr.

60) Justinus XLIII, 5. Tempus conjeci ex ea ratione, qua historiam de Roma a Gallis capta subjungit. Martinus eadem de causa huic rei annum 395. tribuit. v. T. I. p. 336 sqq. imprimis *not. c.* (A. 392. s. 391. vult Johanns. p. 42.) Nomen regis in permultis codd. *Catumarandus*, in prototypis ab emendatrice manu *Caramundus*. Sed cf. nomen stirpis Liguricae: *Caturiges* ap. Caes. B. G. I, 10. et Plin. III, 7 et 24. Bip.

Commerciis interea jungendis, mercatibus sollerter agendis, hostes et aemulos impigre reprimendo, colonias instruendo, foris fortitudine, modestia domi Massiliensium res crevit; singulorum tamen cognitionem fata nostrae aetate inviderunt. E bello Punico primo nulla plane eorum mentio servata est; nec tamen multa in Livianis libris periisse, ex historia primorum, quae Romani in re navali posuerant, rudimentorum effici posse putarim; verum post insignes victorias maritimas, quibus doluerunt Carthaginienses, quaesitam esse a Massiliensibus amicitiam Romanorum verisimile est; nec spreverunt Quirites, quippe qui tum primum mare attigerant,

Ceterum non sane favente Minerva multi, etiam Martinus et Grosson p. 7., huc acumen admoverunt, auro corruptum Catumandum obsidionem solvisse et Massiliensibus sumtibus Deam torque ornatam magna cum ovatione docentes.

61) In inferiorem paginam detrusi legationem Massiliensium ad Alexandrum M., quam vetustiores de Provincia et de Massilia scriptores ferunt ad unum omnes, imo et nummum in Alexandri honorem a Massiliensibus cusum monstrant. (v. Bouch. p. 78 sq.) Neque inesse eos posse negamus populis a Diodoro Sic. XVII, 113. relatis, et Gallis ap. Justin. XII, 13. Sed de 'Ελλάδος tantum legatis loquitur Arrianus VII, 23., quem, ne commemoratis quidem reliquis, solum audit St. Croix, *Examen critique des hist. d'Alex. le Gr.* p. 490 sq. (ed. 2.) Rem hic disquiri non licet, neque adeo cujusquam est ad Massiliam momenti.

et virtutis potius quam peritiae rerum nauticarum triumphum Duillii fuisse probe noverunt. Hinc statim a principio secundi belli Punici (a. 218) Romanis eximie faventes et auxiliantes inducuntur [62]), eoque magis, quod cum vicinis gentibus Gallicis tum Hannibali obnoxiis [63]) antiquitus omnia ipsis hostilia erant. Deinde per totum bellum longe maximas Romanis suppetias variis modis tulerunt [64]). Anno 208 Massilienses legati de periculo ab Hasdrubale impendente eos certiores faciunt, deinde quantam possunt in eo devitando sociis operam commodant [65]). Sed neque insequentium temporum res et eventus diserte traduntur; hoc tamen apparet, cum tam ex antiquis odiis, quam ex invidiosa societate Romanorum, ad socios juvandos tum non satis instructorum, dura iis certamina subeunda essent, acerrimae contentionis, ingentium laborum haec lustra fuisse; nam sine ulla paene intermissione per Gallicas potissimum nationes quibusvis modis terra marique [66]) sollicitati sunt. L. Baebium, propraeto-

62) Liv. XXI, 20. 25. 26. XXVI, 19. Hendreich. p. 2983 sq.

63) Etiam aliis temporibus *Ligures* stipendia Carthaginiensium merebantur. v. Cl. Heerenii *Ideen* T. II. P. I. p. 107.

64) Polyb. III, 96. extr.

65) Liv. XXVII, 36. et al. locc. Plura hic miscet Guesnay *I*, 12. § 1.

66) *Mari.* v. Liv. XL, 18.

rem Romanum (a. 189.), ab Liguribus insidiose vulneratum, diligenter curant, de mortuoque ad Senatum deferunt [67]). Tandem (ne Romanorum in illa propinquitate pugnas et parcos expeditionum successus hic repetamus) post multas vexationes (a. 154.) a Ligurum gentibus, Oxybiis nimirum et Deciatis, non Massilia solum, sed Nicaea etiam et Antipolis coloniae obsidentur. Pressi subinde Massilienses Romam mittunt, qui opem peterent; sed, qui in auxilium advenerat, Flaminio, legato Romano, procaciter ab hostibus violato et majestate populi laesa, Q. Opimius Cos., bellum parare jussus, duplici eos praelio fundit et in deditionem accipit. Quo facto, Massiliensibus quantam poterat agri copiam attribuit, Liguresque compellit, ut obsides statis temporibus cum aliis permutandos iis traderent [68]).

Jam et tuta in plures annos ab accolis hostibus Massiliensibus parata erat quies, et aemula Carthago ad diem suum properabat, Roma vero amica victoriis luxuriabatur. Quibus opportunitatibus quomodo Massilia usa fuerit, quantum et opibus et potentia tum creverit, licet sigillatim cognoscendi vo-

---

67) Pluribus hoc Liv. XXXVII, 54.

68) Diserte narrat Polyb. Excerpt. Legat. 131. 134. (XXXIII, 4. 7 sq. Schweigh.); tangit Liv. epit. XLVII. Exscripsit Hendreich. p. 2985.

luptate privati simus, facile existimari potest. Post a. 129. gratiam apud Romanos in exitio a Phocaeensibus conditoribus, qui libertatem recuperaturi rebellanti Aristonico Pergameno se adjunxerant, deprecando insigni pietate collocaverunt [69]). Verum enim, quod verendum erat, a. 128. denuo in Massilienses erumpunt Ligures; fines populantur Salluvii; sed M. Fulvius Flaccus in auxilium missus eos cum aliis Liguribus tum fudit ac fugavit [70]). Duobus vero annis post C. Sextius indomitis gentibus bellum iterum intulit, sed nihil efficere potuit, quam ut a portuosis locis duodecim, a saxoso littore octo stadia eos removeret; terram ipsis ademtam Massiliensibus largitus, insuper quasi praesidium Romanum Aquas Sextias (h. *Aix.*) illis regionibus imposuit, cum prorsus reprimendis barbaris impares essent Massilienses [71]). Exinde Cn. Domitius, Q. Martius, C. Caecilius, aliique duces victoriarum Romanarum per ista littora cursum tenebant; tamen haec provinciarum incrementa sine Massiliensium ope Romanos vel per tam breve tempus, vel plane non po-

69) Justin. XXXVII, 1. Uberius e veterum locis collectis narrat Freinsh. Supplem. ad Liv. LX, 2. (T. V. p. 1126. Drak.)

70) Liv. epit. LX. adde Flor. III, 2. §. 3. c. notis Dukeri.

71) Strabo IV. p. 180. (272.) Flor. III, 2., al. cf. laudatos ab Johanns. p. 52.

tuisse facere, licet in tanta Livianorum potissimum librorum jactura digito quasi monstrare nequeamus, extra omnem dubitationem positum est; quis enim eorum operam cessavisse credat in copiis et navibus auxiliaribus suppeditandis, viis monstrandis, commeatu subvehendo, et quae sunt alia bellantibus in tali regione adjumenta [72])? Hinc in virtutis praemium (ἀριστεῖον), ut Strabonis sunt verba, et in auxiliorum latorum vices [73]) Marius, subactis Ambronibus et Toygetis (A. 104.), quam duxerat, Rhodani fossam Massiliensibus tradidit, unde vectigalibus exigendis ingentia commoda faciebant [74]). Post a. 75 ad 77 M. Fontejus, praetor Provinciae, non solum tutam praestitit a barbarorum incursionibus Massiliam, sed superasse etiam vicinas aliquot nationes videtur, praeterea Pompejum Magnum, qui prior, ni fallimur, eas fregerat, post in Hispania bellantem omni apparatu bellico insigniter adju-

---

72) Vide, quam callide Cicero laudem Massiliae cum superbia Romana conciliet (pro Fontej. c. 1.): „Est urbs Massilia fortissimorum fidelissimorumque sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula populo Romano *coriis remisque* compensarunt.“ Sed honorificentius idem post casum Massiliae in Philipp. VIII, 6. et de offic. III, 8. v. infr.

73) Auxilia enim eos tum Mario tulisse, e narratione Plutarchi colligi potest, licet verbis non exprimat.

74) Strabo IV. p. 183. (279.) sq.

vit [75]). His puto pugnis [76]) occupatos Pompejus agros Volcarum, Arecomicorum et Helviorum postmodo Massiliensibus publice concessit [77]); inde Caesar „bello victas Gallias attribuit vectigaliaque auxit" [78]). „Gesserunt igitur (Provinciae incolae)

---

75) Haec fere docemur indiciis passim in Cic. orat. p. Fontejo sparsis; v. c. 1. 2. 8. 16. (§. 35.), ad quae omnino conferendus est Niebuhrius in ed. *Cic. Oratt. p. Fontejo, C. Rabirio fragg.* cett. (Romae, 1820) p. 44 sq. ubi etiam de chronologia horum temporum gravia quaedam monentur. V. not. sq. Ceterum haec Pompeji et Fonteji bella plane omisit Johannsen p. 54.

76) Quae in Provincia facinora ediderit Pompejus contra Sertorium ducens, in libris de Romana historia non exhibentur. Et sane haec sola eorum vestigia inventa mihi sunt: *Cic.* pro leg. Manil. II.: „Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter *Gallorum internecione* factum est," et pro Font. c. 8.: „Exercitus Cn. Pompeji maximus et ornatissimus hiemavit in Gallia, M. Fontejo imperante." Quod Niebuhrius l. l. a. 678. (76.), Lucullo et Cotta COSS., ponit, recte puto addens: „*fractos* a Pompejo populos, qui arma sumserant, ab illo (Fontejo) penitus subactos fuisse constat;" nam etiam alteri Ciceronis loco, cujus non meminit, plura inesse non possunt.

77) Caes. B. C. I, 35.

78) Ita l. l.; quas vero Galliae partes, haud addit; sed non esse eas, quarum ipse modo victor discesserat, apparet. v. infr. Emendatio Glandorpii, Oudendorpio et Oberlinio probata, *Sallyas*, fundamento caret; et lectio: *bello victas* G. *attriverit* in Caesaris oratione tolerari non potest. Aemulatione Pompeji Caesarem id fecisse putat P. *Quiqueranus de laudib. Prov.* III. fol. 73. D.

bella cum populo Romano acerba et diuturna; et modo ab imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab senatu agris urbibusque multati sunt" [79]). In hac vicinia quam celsa et sublimis florebat Massilia!

Jam cum principum studiis in contraria tendentibus imperium Romanum bello civili incenderetur, Massilienses pro antiqua amicitia, monitos insuper a Pompejo [80]), reipublicae partibus accessisse quis mirabitur? viros Pompejanos et Albicos mercenarios in urbem recipiunt, Caesari portas claudunt. Sed is cum exercitu in Hispaniam proficiscens ut Massiliam venerat, ad se evocat quindecim πρυτάνεις urbis; rebus transactis imperatori respondetur: se, ut Caesaris ita Pompeji beneficiis obstrictos consultissimum duxisse, si neutrum virum neque auxiliis adjuvent, neque urbe et portubus recipiant. Verum aperta fraude circumventuri erant Caesarem, cum Pompejanos admitterent et omnibus modis ad bellum sese pararent. Rem et Massiliensium ingenium si probe apud animum reputes, sincero reipublicae amore a turpissimo crimine vindicandos esse Massilienses intelliges;

79) Teneri non poteram, quin elegantissimum locum Ciceronis (p. Fontej. 1.), qui superiora breviter complectitur, hic ponerem.

80) Caes. B. C. I, 34.

hoc enim, nisi omnia me fallunt, fidelissimi socii consilium secuti sunt, ut Caesarem in Hispaniam transgressum terra marique ab Italia intercluderent; quod quidem gravissimi momenti inceptum, ab nemine neque veterum neque recentiorum traditum, non in defensionem Massiliensium a nobis excogitatum est, sed rerum conditiones rimantibus sponte sese obtulit.

Quod cum Caesaris perspicacitatem non effugeret, tres legiones adducit, turres vineasque instruit, duodecim naves longas parat; deinde in Hispaniam properans C. Trebonium legatum oppugnationi praeficit [81]). At Massilienses naves longas septendecim expediunt, quarum undecim tectae erant, cum multis minoribus navigiis; alia colonis, pastoribus, servis complet Domitius; quae cum ad insulam e re-

81) Ejus oppugnationis, quam hic quanta possumus brevitate referimus, cognitionem accuratissima narratione nobis reliquit ipse Caesar, B. C. I, 34-36. 56-58. II, 1-16. Aliorum locos multos collegit Freinshem. in Supplemm. ad Liv. CX. §. 8. 9. 10. 19. 38 sq. De rebus praeter Folardum equitem omnino conferendus est Guischardus, qui in *Mémoires militaires* T. II. p. 53 sqq. e re militari Caesarem diligentissime illustrat; post vero, aliquot locos in Gallicum sermonem transferens, emendatius in *Mémoires critiques et historiques* T. IV. p. 104 sqq. cum tabulis aeri incisis. Tamen nonnulla reprehendit Lo-Looz *defense du chevalier Folard* p. 37.

gione Massiliae stationes haberent, fortissimos Caesariani opponunt, ac tandem aegre vincunt. Interea Trebonius aggere, vineis, turribus, duabus ex partibus urbem oppugnat; sed Massilienses ingenti apparatu bellico erant; praeterea in auxilium a Pompejo missus cum XVI navibus advenit L. Nasidius. Reficiunt igitur classem, etiam piscatorias ad resistendum instruentes; nobilissimi inde adolescentes naves conscenderant; ex urbe senum, matrum, virginum preces ac fletus; omnis in hoc proelio fiducia. Verum infeliciter ad Tauroentum vincuntur; ingens nuntium consequitur luctus, omnium rerum desperatio. Nihilo tamen sequius fortissime contra Trebonium se defendunt [82]) et crebris eruptionibus hostem sollicitant; sed Romanus, turri munitus immani, sub musculo murum impigre labefactat. Tandem turris una Massiliensibus concidit; confestim „deorum ira perculsi“ inermes cum infulis foras se ad legatos et exercitum proripiunt, supplices manus tendentes, orant, ut Caesaris adventus exspectaretur. Insigni virtute Trebonii, qua magno periculo suo iratos milites compescuit, induciarum genus factum est. Sed ne tum quidem vincendi spe destituti, dum Romani, ut Caesaris est narratio, dispersi otium

82) Huc fortasse pertinet narratio Frontini I, 7. §. 4. Assentitur Johannsen. p. 62. (cf. not. 59.)

agunt, arma tecta jacent, perfide eruptione facta sive potius (id quod hic verum habemus)*) ab Romanis ipsi per inducias dolo malo lacessiti, impetu fortiter repulso, ex urbe progressi cuncta oppugnationis instrumenta deflagrant; altero tamen die idem moliti funduntur; nec quicquam fortuna emendata, sollertiam Romanorum et virtutem stupent, qua tam longi laboris detrimenta brevi reconcinnant. Hinc ad easdem deditionis conditiones recurrunt, etiam cum rei frumentariae inopia et pestilentia graviter conflictantes. Interea Caesar advenerat. „Massilienses arma tormentaque ex oppido, ut erat imperatum, proferunt; naves e portu navalibusque educunt; pecuniam ex publico transdunt. Tum Caesar magis eos pro nomine et vetustate, quam pro meritis in se civitatis conservans, duas ibi legiones praesidio relinquit" [83]). In triumphum adeo ducta

*) Ita narrat Dio Cassius XLI, 25., quem h. l. merito Caesari praefert Johanns. p. 60 sq. Si tamen ob magnificentiam animi, quae in imperatore summo erat, dubitabunt aliqui et aegre ferent judicium nostrum (et ipsi aliter senseramus ante), cognoscant Asinii Pollionis de Caesaris commentariis decretum et quae intelligentissime addit Thorbecke in Diss. *de Asinio Pollione.* p. 133 sqq.

83) Verba Caesaris B. C. II, 22. Dio Cass. XLI, 25.: „Καῖσαρ *ἐκείνων τότε μὲν τά τε ὅπλα καὶ τὰς ναῦς τά τε χρήματα ἀφείλετο· ὕστερον δὲ καὶ τὰ πάντα, πλὴν τοῦ τῆς ἐλευθερίας ὀνόματος, ἀνθ' ὧν ἡ Φωκαία μητρόπολις σφῶν ὑπὸ τοῦ Πομπηΐου*

est „urbs ea, sine qua nunquam ex Transalpinis gentibus Romani triumpharunt; quo quidem tempore populus Romanus ingemuit; quamquam enim proprios dolores suarum rerum omnes habebant; tamen hujus civitatis fidelissimae miserias nemo erat civis, qui a se alienas arbitraretur" 84). Ita omnis rerum publicarum prosperitas urbi ablata; sed libertatem tamen (αὐτονομίαν) retinuit et litteris suis ad insignem claritudinem pervenit.

§. 3.

DE REIPUBLICAE FORMA AC LEGIBUS.

Inter gravissima damna, quae ingruente temporum barbarie fecimus, illud est facile princeps, quod nobilissimae civitatium Graecarum formae ad exi-

ἀφείϑη." Adde Strabonem IV. p. 181. (274.) Flor. IV, 2. §. 25. Paul. Diacon. VI, 33. al.

84) Verba Ciceronis in Or. Philipp. VIII, 6., repetita in Offic. II, 8. — Miratus saepe sum, neminem quantum scimus Romanorum in hoc Caesaris nefas illud traxisse, quod de triumpho Suetonius (Caes. 37.) narrat: „*Gallici* triumphi die Velabrum praetervehens *paene curru excussus est, axe diffracto.*" — Denique Arcum Arausionensem quidam in expugnationis hujus memoriam Caesari positum dicunt (v. Addend. Oberlinii ad Monumenta orbis antiqui, Argent. 1790); quod ineptum est.

guas reliquias interierunt. Nam perpaucissimae sunt respublicae, quarum leges et instituta ita tenemus, ut veram (quantum quidem post tantam rerum conversionem fieri potest) certamque publicae vitae apud animum constituere possimus imaginem. Tum si cogitamus, quot cujusque πολιτείας fuerint mutationes; quot sapientissimae rerum nociturarum evitationes in tempus factae, quot denique eximiae leges, a viris ingenio et virtute excellentissimis latae, a plebe non jussae, apud ipsos populares in oblivionem abierint: hanc, inquam, tantorum bonorum ruinam et perniciem si cogitamus; ingenti moestitia, desiderio insomni percutimur. Ita etiam Massiliensium reipublicae et prudentissimam et virtuti honestatique convenientissimam institutionem de signis aliquibus conjicere potius quam cognoscere possumus. Ante quidem spem animo conceperam, fore, ut reliquae civitatum Ionicarum formae, quantum earum indagari licebat, cautis conjecturis adhibitae, detrimenta quodammodo sarcirent; sed dici nequit, quam et harum (si ad ea respicias, quae inde intelligi possunt, non ad copiam et numerum relatorum) miserae sint reliquiae, quarum insuper pro alacri mobilitate et ingeniosa inconstantia Graecae, praesertim Ionicae indolis incertus est usus et fallax. Quare iis finibus hanc reipublicae Massiliensis delineationem circumscripsimus, ut quaecumque in dubi-

tationibus paulo majoribus sita et a verisimilitudine alieniora conspexerim; quae audacius conjecissem, necdum in firmis fundamentis collocare valerem; quibus denique inconcinna quaedam et inconvenientia ita inhaeserint, ut evelli non posse viderentur: ea ut continuo premerem, nec in hujus scriptionis, quae certa tantum et maxime probabilia contineret, reciperem angustias.

Erat [85]) respublica Massiliensium inter eas, quas veteres *aristocraticas* dicebant [86]); quippe in quibus non penes populi universitatem summa potestatis erat, sed penes optimates; in urbibus vero mercaturam prae ceteris rebus agentibus quis dubitet, quin census potissimum, unde majora et audaciora moliri poterant mercatores [87]), gratiam conciliaverit et auctoritatem? ita in his oritur Aristocratia sive Oligarchia [88]), quae plus minusve continet de *τιμοκρατίᾳ*, nisi ipsa est *τιμοκρατία* [89]). Hinc Massi-

---

85) Locus classicus Strabo IV. p. 179. (271.)

86) Quod ex Aristot. Pol. IV, 13. (10. §. 10. Schneid.) profert Hendreich. p. 2958., *militarem* fuisse rempublicam, id de Μαλιεῦσι, non de Massiliensibus philosophus dicit.

87) cf. Arist. Polit. III, 8. Heins. obiter etiam Rambach. de Mileto p. 16.

88) De quarum similitudine Aristot. Pol. V, 7.

89) „ἡ ἀπὸ τιμημάτων, ἣν τιμοκρατικὴν λέγειν οἰκεῖον φαίνε-

liae etiam τιμούχους[90]) conspicimus, per vitam primas tenentes; sed ne effrenata inde oriretur τιμοκρατία, sapienti utebantur temperamento. Primum enim sexcenarium numerum nunquam non explebant; deinde qui avum, abavum, tritavum civem non habuerit[91]), neque ipse pignora (liberos dico) reipublicae dederit, eum in magistratum haud admitte-

ται· πολιτείαν δ' αὐτὴν εἰώθασιν οἱ πλεῖστοι καλεῖν." Aristot. Ethic. Nicom. VIII, 10, 1. ubi cf. nuperum interp. Zellium, V. II. p. 359 sqq. Xenoph. Mem. IV, 6, 12. vocat πλουτοκρατίαν. Adde not. 106.

90) Idem magistratus nomen Naucrati fuisse memoratur ab Athen. IV, 13., quem Chishul. in *Antiq. Asiat.* p. 100. a προστάταις τοῦ ἐμπορίου ap. Herod. II, 178. „titulo tantum" discrepasse judicaverat; sed recte jam Wesseling. ad loc. Herod. dubitabat; nam neque Athenaei, neque Herodoti locus conjecturae favet; et magis quam fieri potest distaret τιμουχία haec, et ipsa Ionica, a Massiliensi. (Obiter animadverto, inde Schneiderum Lex. v. τιμοῦχος sine dubio hausisse suum „τιμ., etiam id q. ἀγοράνομος.") Equidem τιμούχους audacius e Naucrati in Miletum metropolin transferrem, quae florentiore libertatis tempore hanc coloniam deduxit (v. de tempore conditae Naucrat. certamina ap. Mueller. *Aeginet.* p. 82 sq.). Ceterum debuisse ita, ut in superioribus factum est, τιμουχίας naturam constitui, inferius patebit. — „Massilia optimatum consilio gubernatur." Cic. pro Flacco 26. Cf. locc. laudd. a Tittmanno: *Darstellung der Gr. Staatsverf.* p. 517.

91) Casaubonus jam docuit, huc respexisse Aristot. Polit. III. (C. 1. p. 247 sq. s. §. 9. addas Schneideri Comm. p. 174.) Sed sunt ibi merae captiones et sophismata.

bant *); dignitatis denique cuique, sive functus jam fuerit munere publico, sive non fuerit, probatio subeunda erat [92]). Accedit, quod neque fratribus duobus, neque patri cum filio simul gerere magistratum licebat **). Ex hoc sexcentorum Timuchorum concilio (*συνεδρίῳ*), *οἱ ἑξακόσιοι* dicto [93]), quinideni quoque tempore erant *οἱ προεστῶτες*, quibus tunc munia magistratus exsequenda erant; quam diu vero *πρυτάνεις* illi (ita enim eos vocatos fuisse putaverim [94])

---

*) Quae cur ad tresviros supremos solos transferat Schneider. ad Aristot. p. 307., plane non apparet.

92) Auctor est Aristot. Pol. VI, 7. p. 738.

**) V. eund. V, 6. (5, 2. Schn.)

93) V. Lucian. Toxar. 24. „*Sexcenti*, id enim senatus ejus nomen est.“ Val. Max. II, 6. §. 7. c. interpp. — Eundem numerum habes Heracleae; Aristot. Polit. V, 6. p. 572. (V, 5, 2. Schn.)

94) Marmora Oxoniens. p. 75., q. l. huc transferam: Ο ΔΗΜΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΝ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΓΑΛΛΟΝ. ΤΟΝ ΠΡΥΤΑΝΙΝ ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ ΚΑΙ ΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΜΑΣΣΑΛΙΑΣ ΤΟ Γ. ΗΡΩΑ. ΠΡΟΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ [? fortasse ΠΡΟΜΕΛΗΘΕΝΤΑ ΣΤ sive ΤΟ ΣΤ, *sexies*. v. infra.] ΤΗΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΙΑΣ. . . . Cetera plane mutila. Praeter illos quindecim cogitare non possum, qui fuerint Massiliae *πρυτάνεις*, nisi forte collata inscriptione celeberrima Sponii (v. not. 109.), ad sacra munera pertinuisse dicas; praeerant tamen urbibus Ionicis *πρυτάνεις*: *Epheso* et *Lebedo* (v. Tittmann. p. 431 sq.), *Smyrnae* (v. Tittmann. p. 439., adde Corsinium in Dissert. VI. ad Nott. Gr. p. CXXVIII), *Mileto*, (de quibus Aristot. Pol. V, 5. p. 566. s. 4. §. 5.: „*πολλῶν γὰρ ἦν καὶ μεγάλων κύριος ὁ πρύτανις*,

negotiis *) praefuerint, sive qualis et quanta constituenda sit πρυτάνεια, plane ignotum est. Praesidebant his quindecim primis, ut Caesar 95) vocat, tres viri, qui omnium maxime valebant (οἱ πλεῖστον ἰσχύοντες. Strab.) 96). His igitur de summa republica cognoscendi erat potestas.

---

quod, nisi *collective* accipiendum est, ut suadere possint, quae Paulsen, Comment. de Rhodo (Gotting. 1818.) p. 54. de πρυτάνεων Rhodiorum commemoratione apud scriptores disseruit, intelligi debet de *archiprytani* in not. 96. Locum non satis enucleavit Rambach. p. 17.) *Jaso*, Mileti coloniae (v. Chandler. inscr. antiq. p. 26., quam inscript., ut multa hujusmodi, omisit Rambach. p. 31.), denique *Cyzico*, quam saepissime cum nostra comparat Strabo (v. Eckhel. doctr. numm. P. 1. V 4. p. 201., ubi etiam alia de Prytanibus collecta invenias.) De Atheniensibus v. Schoemann. *de comitiis Atheniens.* c. 7. p. 83-90. — De πρυτανείαις, quam appellationem, licet ad similitudinem Atheniensium hic illatam, tamen in nostra quaque urbe extitisse jam probabile videtur, v. Boeckhii *Staatsh.* T. II. p. 176 sq. 195 sqq.

*) Scilicet τοῖς προχείροις, ut est apud Strabonem. Intelligo, res, de quibus in tali urbe quotidie fere consultandum erat. Sic etiam Rittershus. ad Salvian. Mass. p. 572. (177. ed. Brem.) Bellum, pacem, et alia ad universae reipublicae salutem et incolumitatem gravia cunctos decrevisse timuchos, per se apparet. V. infr.

95) B. C. I, 35. c. nota Vossii, quam exscripsit Reiz. ad Lucian. l. l.

96) Hos fortasse ἀρχιπρυτάνεις appellabant; producit enim e monumentis Milesiis Corsinius in Dissertt. ad Nott. Gr. p. CXXVIII.:

Quae modo exposuimus, licet aprica videantur, plurimas dubitationes admittunt; e. c. quae populo s. plebi fuerit conditio; qui in creandis magistratibus modus; quaenam intercesserit ratio inter πρυτάνεις et ἀρχιπρυτάνεις, qui fuerit judiciorum mos, qui administrationis cett. Erant quidem omnia Ionica instituta; sed horum et paucissima, eaque plerumque incerto novimus et veterum non tam tenaces erant Iones, quin, si quid rebus suis, temporibus, conditionibus non amplius responderet, continuo aptioribus et melioribus commutarent *); hinc quae singula fuerint Timuchorum munera; quinam praeter eos magistratus; quae partium inter singulos divisio, quaecunque tandem ad instructam rempublicam pertineant, ea ex aliarum civitatium veterum institutione, praesertim Ionicarum, quivis harum rerum gnarus probabiliter conjicere poterit, certo definire historiaeque luce collustrare non poterit. Vestigia

ἘΠΙΜΕΛΕΘΕΝΤΟΣ ΤΟΥ ἈΡΧΙΠΡΥΤΑΝΙΔΟΣ ΚΤΗΣΙΟΥ ΤΟΥ ΚΙΣΙΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝΑΡΧΟΝΤΩΝ ΑΥΤΟΥ. . quam inscr., sed varia lectione in nominibus, postea editam vidi a Chandlero in Inscrr. Antt. p. 17. Sed antiquus videtur esse ὁ ἀρχιπρύτανις, unde nescio an conjungi debebat a Tittmanno p. 428. cum τῷ πρυτ. ap. Aristotelem.

*) Cf. Weissii, Diss. *de diversa naturae et rationis in civitatibus constituendis indole e Graecor. hist. illustrata.* (Lips. 1823.) p. 62 sqq. ubi aliqua bene exposita sunt et alii scriptt. laudati.

igitur eorum, quae vel scriptores vel monumenta tradiderunt, diligenter premere, ut ab errore remotissimum, ita utilissimum judicavimus.

Primum illud ex aristocraticarum rerumpublicarum ingenio consequitur, quaecumque vel tantillum universae civitatis salutem et commodum tangerent, ea ad Timuchorum munera pertinuisse [97]). Hinc in judiciis de gravioribus rebus ipsos illos quindecim suo arbitrio, non judices constitutos, cognovisse apparet. Ita narrantur bonis aliquem suis multantes [98]) et ἀτιμίᾳ maxima onerantes [99]), qui ἀπεψήφισατο γνώμην παράνομον [100]); deinde, cum suavissima

97) Cfr. locum de Rheginorum civitate, in quo vel singula verba ad rem nostram gravia: „πολιτειαν κατεστήσαντο ἀριστοκρατικήν· χίλιοι γὰρ (constitutus numerus!) ΠΑΝΤΑ διοικοῦσιν αἱρετοὶ ἀπὸ τιμημάτων.“ Heraclides in polit. Rhegin. §. 4.

98) „ἀφῃρέθη τὴν οὐσίαν ἐκ τῆς καταδίκης, ὅτε περ καὶ ἄτιμος ἐγένετο ὑπὸ τῶν ἑξακοσίων.“ Res narratur ab Luciano in Toxari §. 24 sq.

99) Ex similitudine Atheniensis reipubl. dixi; ibi enim maximus ἀτιμίας gradus erat, si cui corpus reddebatur infame et bona publicabantur; omnium optime exposuit Meier. *de bonis damnator.* (Berol. 1819.) p. 101 sqq. p. 200., nostri loci non immemor.

100) Haec verba interpretationis maxime dubiae! Si Menecrates non fuit in Sexcentis, poteratne, ut vir generosus, rogationem

deprecatione animi ipsorum tangerentur, e vestigio ἀτιμίας virum solvunt, ut ἐπίτιμος 101) fieret. Imo universa legum custodia ipsis tradita fuisse videtur 102). Quando vero summa res civitatis cernebatur, tum cuncti Sexcenti consultaverint necesse est 103). Ma-

---

ferre? quibus e populo praeter τιμούχους hoc concessum erat? (a quo τιμήματι *plebs* appellari incipiebant?) an vero privatum arbitrum (διαιτήτην, διαλλάκτην, cf. Hudtwalcker. p. 156. 158 sq.), inique egerat, et, qui ejus judicio damnatus fuerat, φάσει de hac injuria Sexcentos imploraverat? an ipse τιμοῦχος inter Sexcentos injustam sententiam pronunciaverat? nam quia simul cum censu dignitas periit, dignitatis mentionem omittere poterat Lucianus. An in alio magistratu fuerat? mihi quidem fateor ex his certi nihil emergere.

101) Ita vocabantur, quibus ἀτιμία demta erat, quod multis probat nuperrimus editor Toxaris Lucianei, Jacob, p. 95 sq.

102) Inter Ephesum et Smyrnam incertae aetatis inscriptio inventa est, cujus (quod maxime dolemus) depravatissimae ultima verba leguntur haec: ΟΙ ΕΚΑΣΤΟΤΕ ΓΙΝΟΜΕΝΟΙ ΤΙΜΟΥΧΟΙ ΠΕΡΣΤΙΝ (?) (Muratorii inscriptt. V. II. p. 576. Nr. 2. l. ult.) Colligere quodammodo ex ea possumus, illos timuchos legibus, judiciis et poenis praefuisse et (ni fallimur) nonnunquam *exceptionem* dare potuisse.

103) Hoc post vidi e Caes. B. C. I, 35. jam effecisse Martinum T. I. p. 266 sq. Sed quam maxime ambiguus est is locus; poterant enim pro quindecimviris legati ad Caesarem venisse, neutiquam refragantibus verbis; nam neque ipsi quindecimviri legati appellari queunt, neque, si redierunt, legatis ad perferenda mandata egebat, neque extra urbem mansisse eos credibile est, quia tum ipsi in magistratu vim omnium minimam

gistratus denique reipublicae sacerdotia etiam iniisse et sacerdotes magistratum, et ex monumentis [104]) et ex more Ionum non difficilis est conjectura.

Praeter ea viri, qui rebus navalibus et mercatoriis praeessent, quales Athenis erant ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου, ἀγορανόμοι, μετρόνομοι, eorumque ministri; qui in bellicis rebus partes agerent; porro qui lites dirimerent, ut de mercatura ναυτόδικαι; deinde qui consulta Sexcentorum exsequerentur *); reliqua denique, quae ad civitatis administratores pertinent, plane nusquam memorantur, et nostro ingenio reperienda sunt; quam rem, etiam si audendae par essem, in hoc loco non apte committerem.

Verum a primordiis urbis haec reipublicae forma constitisse non potest; nam vel discedentes a tenuibus plerarumque civitatum incrementis et ab iis,

---

habuissent in decretum, quod ex urbe renunciatur. Ex Lucano III. confici nihil potest.

104) V. inscr. in not. 94.

*) Quindecimviros exsequi „decreta communis concilii," censet Johannsen. p. 69., cujus haec verba ridiculi causa hic pono: „Discrimen, quod inter sexcentorum senatum et quindecimviros intercedebat, eo praecipue vertitur, quod illi rogabant leges, hi jubebant et promulgabant, illi proponebant decreta, hi rata faciebant et exsequebantur. Ex his rursum tres, quasi dictatores quidam, urbi reique publicae praesidebant."

quae rerum ac temporum necessitas sensim affert, ex originibus urbis pro sexcentorum Timuchorum senatu pauciores tum reipublicae moderatores fuisse satis intelligeremus. Jam vero disertis verbis Aristoteles [105]) paucos a principio Massiliae summis honoribus functos esse memorat; postea multi idem τίμημα possidebant, imo fortasse amplius, quam ipsi Timuchi; justo igitur sibi magistratum affectare posse videbantur; hinc, cum ante praeter τίμημα in honoribus generis etiam antiquitas et nobilitas valeret, post census ratio major habebatur et pluribus ad magistratum aditus patebat [106]). Quo autem modo factum sit, ut sexcenarius numerus, quem neque egrederentur, neque imminuerent, firmiter constitueretur, id nescimus; illud non difficile est intel-

---

105) Polit. V, 6. (al. 5.) post pr.

106) Ad Massiliam praesertim pertinent haec verba: „καὶ ἔνθα μὲν πολιτικωτέρα ἐγένετο ὀλιγαρχία. De πολιτείᾳ locum not. 89. exscripsi. Sed clarissimam lucem fundit IV, 14. p. 491 sq. H. de Oligarchiae speciebus: „ὅταν μὲν ἀπὸ τιμημάτων μετριωτέρων αἱρετοί τε ὦσι καὶ πλείους διὰ τὴν μετριότητα τοῦ τιμήματος, καὶ περὶ ὧν ὁ νόμος ἀπαγορεύει, μὴ κινῶσι, ἀλλὰ ἀκολουθῶσι, (nota hanc causam ἀταραξίας et gravitatis, quam Cicero de Massiliensi civitate praedicat!) καὶ ἐξῇ κτωμένῳ τὸ τίμημα μετέχειν, (numerus definitus rem non immutat) ὀλιγαρχία μὲν, πολιτικὴ δὲ ἐστιν ἡ τοιαύτη διὰ τὸ μετριάζειν.“ Μέτριον vero in civitatibus mercaturam facientibus etiam majus τίμημα sponte fit temporis decursu. Adde ib. IV, 5. pr. et Heracleam ibid. et not. 89.

lectu, cur Strabo statutum τιμήματος modum non retulerit; fuit enim ejus aetate tanta copia eorum, qui illum, ut antiquis temporibus positum, opibus longe superarent, ita ut facillima haec adipiscendi magistratus conditio ex animis plane periret, dum alia impedimenta removere studebant ambitiosi [107]).

Comitia civium etiamsi Massiliae instituta erant*), [licet inde, quod ὁ δῆμος in honorem excellentium virorum monumenta posuit [108]), non consequatur] valde tamen exiguae, si ullius, potestatis particeps fuisse reliquus populus existimandus est. Nam et multis modis hoc conjici certo poterat, et nuper Ciceronem ita sentientem cognovimus: „si Massilienses, nostri clientes, per selectos et principes cives summa justitia reguntur, inest tamen in ea condi-

107) Operae pretium est cognoscere joculare acumen Guesnaji; ei status reipubl. ita mutatur: Primum regium imperium *Protiadarum;* deinde pro fide sua in Romanos ex eorum imitatione XV annos post regifugium suos quoque reges expellunt; et *Perani* familia munera publica ingreditur. V. I. c. 19. §. 2-5. et repetita p. 645 sq.

*) Cf. Tittmann. p. 527. pr.

108) „Ο ΔΗΜΟΣ ΑΡΤΕΜΟΤΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΤ ΙΚΕΣΙΟΤ ΔΕ ΓΤΝΑΙΚΑ (sc. ΣΤΕΦΑΝΟΤΤΑΙ)“ in monumento ap. Grosson. p. 143 sq. et Spon. Miscell. erud. ant. p. 350. Huc etiam trahendum videtur monumentum ap. Grosson. p. 147 sqq.

tione populi *similitudo quaedam servitutis*" *). In φύλας [109]) divisus erat.

Leges Ionicae palam propositae erant [110]); sed quantas eae in coloniis mutationes subierint, inter omnes constat [111]). Massiliae instituta fere eo cuncta tendebant, ut ab imprudentibus animorum affectibus et cupiditatum impotentia omni tempore liberos sese praestarent cives, et modeste ac temperanter viverent; ne multa, ut σωφροσύνη per universum civitatis corpus, per omnia membra vigéret, legum omnium videtur commune fuisse consilium. Subit vetus dictum, quamvis urbem, quae potentiam et claritudinem mercatura acceperit, quoad floruerit, temperantem fuisse. Et sane a Cicerone

---

*) De Republ. I, 27. Etiam haec verba apponere juvat: „In optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum omni consilio communi ac potestate careat." (cf. Montesq. *ésprit des loix* L. II. c. 3.) Capite seq. cum *triginta tyrannis Atheniensium* timuchos comparat.

109) Η ΤΕΤΘΑΔΕΩΝ ΦΥΛΗ, celebratissima inscriptio ap. Spon. Misc. p. 349., repetita a Spanhem. de praest. et usu Nr. I. p. 574.; nam recte, puto, e Phocaea hoc Massiliam transferimus.

110) Strab. IV. p. 179. cf. Martin. T. I. p. 267.

111) Si talia probare posset, de Massilia provocarem ad Valer. Max. II, 9. §. 8., ubi ex reliquis institutis unum excipit „*non in Gallia ortum*."

summis laudibus effertur „civitatis disciplina et gravitas," post eum a Valerio Maximo „disciplinae gravitas, prisci moris observantia, severitatis custodia" 112), a Strabone denique etiam „frugalitas." Quibus virtutibus ad amussim respondent leges nobis forte fortuna servatae 113). Primum mimis, quorum argumenta impudica esse solebant, aditum in scenam suam plane praecluserant 114). Deinde omni-

112) V., ut breves simus, locc. collectt. ab interpp. ad Valer. Max. II, 6, 7. p. 171 sq. ed. Torrenii. (Johannsen. p. 67 sq.)

113) Valerius Maximus leges quasdam Massiliensium in farraginem suam (II, 6. §. 7. 9.) intulit. Sed vereor, ut ab ullo scriptore majorem in modum nobis cavendum sit; magna enim dictorum et factorum pars aperte ex rumusculis urbanis originem duxit, quos quaesita quadam orationis sublimitate, saepe putida, exornavit; deinde innumeris erroribus scatet, et nulla fere est narratio, quam non mente sua, (etiamsi verbis recte referat) et additis observationibus non aptis distorqueat, cum dissimilibus comparet, cogitataque ab rei veritate plane aliena subjiciat. Recte, licet paucis, de ejus fide monuit auctor libri: *Geschichte der Republik Carthago. Frankf.* 1781. P. I. p. 5. et Jean Bapt. Couture, *reflexions critiques* cett. in *Acad. des inscr.* T. III. p. 165. Cf. not. 122. — Quae sequuntur instituta ex ipso hausta fere omnia.

114) Male multi intellexerunt h. l. de quovis spectaculorum genere, etiam Grosson. p. 160. Unde Alexander ab Alexandro Lib. V. p. 183. (ed. Hackianae T. II.) juvenes tantum arcuisse Massilienses a spectaculo narret, nescio; fortasse Aristotelis locus, Polit. VII, 17. p. 902. Heins., ejus animo obversatus est: τοὺς νεωτέρους οὔτ᾽ ἰάμβων, οὔτε κωμῳδίας θεατὰς νομοθετητέον.

bus, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiae quaerebant (quis non novit tales per universam antiquitatem fraudes?) clausas portas habebant, et mendacem et fucosam superstitionem submovendam esse existimantes." Etiam lamentationem et planctum de funeribus cognatorum et amicorum leges prohibebant [115]); postquam enim in alterutra arcarum, quae ante portas liberis et servis positae erant, corpora ad sepulturae locum plaustro devecta erant [116]), domesticum sacrificium et necessariorum convivium adjiciebatur.

Frugalitatem et temperantiam ita efficere studebant, ut legibus majorum sumtuum occasiones praeciderent: summa dos egredi non debebat centum aureos. Quotidianum adeo vestitum ita praestitutum habebant, ut in vestem non nisi quinque au-

---

115) Tamen omnis generis vasa lacrimatoria in sepulcris inveniuntur; v. Grosson. Tab. 30, 4. Tab. 32. al., sed ex Romano tempore ea esse omnia suadent; v. eund. p. 94. 193 sq. et conferas Grivaudii *antiquités Gauloises et Romaines*, 1807. p. 110 sqq. de Romanorum lacrimatoriis, quae Parisiis inventa sunt.

116) Num Timuchorum quoque corpora? Non negaverim; fortasse enim ex pari omnium, et generosissimorum et vilissimorum, sepultura magna pars invidiae plebis in optimates, quae nusquam plane abest, compescebatur. Cf. Montesquieu *espr. des loix*, L. 5. c. 8. p. 81. ed. Genev.

reos, nec plus in aurea ornamenta insumere civibus liceret [117]). Neque funera et sepulchra magno ipsis arbitror sumtu constabant [118]), atque id etiam ad arcarum publicarum consilium pertinuisse videtur *). — Vinum mulieribus bibere vetitum erat [119]); nam quae est affectuum muliebrium, eorumque Baccho incitatorum, impotentia!

Severitatis in Massiliensium legislatione non minimum hoc specimen est: quod (nam certam credimus conjecturam) quamque vel leviorem virtutis violationem poena insectabantur; aliter enim intelligi non potest, quomodo liberti tam saepe in servilem conditionem detruderentur atque post iterum manumissione digni haberentur; vitiorum praecipue turpissimum, ingratum animum, vel in levioribus delictis puniisse videntur. Tres autem manumissiones rescindi permittebant, si ter ab eodem deceptum

---

117) Haec Strabo IV. p. 181. (274.)

118) Monumenta luxuriae sepulcralis ex Romano tempore sunt omnia; quod hic sigillatim demonstrari non potest. Cf. Grosson. p. 93 sqq.

*) Cf. Montesquieu. L. 7. c. 3.

119) V. Aelian. V. H. II, 38. Athen. X, 33. p. 429. (ὑδροποτεῖν.) cf. Guesnaj. I, 24, 9. Recentiorum locos ap. Hendreich. p. 2962. Martinus T. I. p. 269. hoc ab Romanis ducit, quod multis de causis fieri plane nequit.

herum judicaverant; sed si quartum errorem dominus commiserat, oscitantiae poena ipsum afficiebant, libertumque non sollicitabant.

Noxios gladio jugulabant: quae lex severior, terribilior adeo videtur, quam plerarumque civitatum Graecarum, quae cicuta supplicia peragebant; sed rubigine exesum et vix ad usum sufficientem fuisse eum gladium, addit Valerius, probissimorum sane morum indicium [120]). Cicuta iis potius publice servabatur, qui mortem sibi expeterent, causamque suam Sexcentis [121]) probassent [122]). Haec lex

120) „Index in minimis quoque rebus [quales sunt supplicia hominum!] omnia antiquae consuetudinis monumenta servandi." Valer. M. Sapienter!

121) Universos Sexcentos intelligit Martin. T. I. p. 267.; mihi ambiguum est.

122) Omnibus modis veritatem hujus legis impugnat Lautard (*essai de critique sur l'usage du poison fourni par le Sénat de Marseille aux citoyens qui croyaient être autorisés à le demander.* in *Mémoires de l'Acad. de Marseille.* T. XI. (1812.) p. 132-148.), his fere argumentis usus: 1. Valerii auctoritas nulla; 2. non tacerent alii, Strabo, praesertim Justinus, rerum singularium auceps, et Macrob. ad Somn. Sc. I, 13. 3. Ap. Ceos uno tempore eam legem latam fuisse, quum populis nimis repleta fuisset; ubi confert Tournefortii *voyage en Levant.* lettr. 8. p. 13. (Sed hoc aliud est!) 4. Res ridicula; 5. mortem voluntariam non nisi apud corruptos populos inveniri, nec cogitari posse Massiliensis vitae odium! Denique explodit eos,

si recte nobis relata est, omnium maxime gravitatem legislationis Massiliensis ostendit, quae quaevis animi consilia rempublicam aliquatenus tangentia publice judicet ac dirimat.

Quod ultimo loco Valerius refert institutum, sine dubio periculoso Massiliae inter barbaros situi et fraudibus alienorum debebatur: peregrino armato in urbem intrare non licebat, praestoque erat ad portam, qui telum in custodiam acciperet, exituro redderet; „ut (belle additur) hospitia sua quemadmodum advenientibus humana erant, ita ipsis quoque tuta essent." Vulgaris hic mos; festum vero morem Justinus ab antiquis insidiis Ligurum repetit [123]): „Exinde Massilienses festis diebus portas claudere, vigilias agere, stationem in muris observare, peregrinos recognoscere, curas habere, ac veluti bellum habeant, sic urbem pacis temporibus custodire. *Adeo illic bene instituta non temporum necessitate, sed recte faciendi consuetudine servantur.* "

qui vel locum, ubi asservata fuerit cicuta, ex sermone hominum tradunt, et alios male intelligentes Valerium refutat. Argumenta haec infirma esse apparet, et quae legem illam neutiquam tollant; tamen paucis redargui non possunt.

123) XLIII, 4. §. 11. 12. Permiscet diversa Hendreich. p. 2966. et Johanns. p. 77.

Ut locum *de moribus* Massiliae continuo subjungamus: omnia sunt laudum honestissimarum plena, nec ulla paene dixerim cogitari potest nec publica nec privata virtus, cujus palmam sibi non auferant [124]); in proverbium adeo abierunt *mores Massilienses* [125]). Sed (quae labes humanis rebus omnibus adhaeret) vel praestantissima hominum bona temporum lapsu deteriora fiunt et, quae insigniter florent, aliquando flore abjecto occidunt: ita morum simplicitas et vitae frugalitas, postquam *per plura, quam usquam factum est, saecula* Massiliae viguerunt, sensim in luxuriam et mollitiem mutaverunt, ut delicata et effeminata urbis vita tandem in ora hominum veniret, ibique proverbia non sane honorifica sedem caperent [126]). Verum malitiosi,

---

124) V. praeter locc. supra laudd. omnia collecta ap. Guesnaj. I. c. 24. §. 6. 7. Eximium Taciti praeconium, inter omnia facile gravissimum, „locum esse Graeca comitate et provinciali parsimonia mistum ac bene compositum," pulchre sane explicuit J. C. Khunius, in Diss. *de Massilia studior. sede et magistra ad Taciti locum*. (Argentorat. 1697.) p. 13 sqq.

125) Plaut. Casin. V, 4, 1. quem jam recte intellexit Erasm. Adag. p. 921 et 1937., multi perperam. Taubmanni nota confusa est. Ceterum non assequor, quomodo optimus Martinus T. I. p. 268. *uno* maleficii exemplo ap. Demosth. in Except. adv. Zenothemin permotus de sanctitate morum Massiliensium dubitet.

126) V. Athen. XII, 25. p. 523. Suid. v. Ἐκ Μασσαλίας ἥκεις. et Πλεύσειας ἐς Μασσαλίαν; etiam Zenodotum in praefat. Gronov.

mendaces, perfidi, et quae sunt alia tetrorum vitiorum nomina, nunquam facti sunt, nunquam; quod igitur per voluntatem ipsorum stetit, permansit integrum [127]); sed luxuria et mollities, veluti fatum ingruens, arceri a cultiore civitate nullo modo possunt [128]).

---

ad Thesaur. Antt. Gr. T. X. p. 13.; disertius ibi luxuriae modi describuntur. Recentiores laudat Hendreich. p. 2964 sq. Sed notes quaeso illos primos testes mollitiei! Incrementa delicatioris vitae sine dubio sub prioribus imperatoribus ponenda; sed quando, ut nimia, hominum oculos ad se advertere coeperit luxuria Massiliensis et proverbia illa pepererit, nescimus. Loc. Cic. ad Attic. X, 12. legitur: „nam et juncti (i. e. fideles) et diligentes sunt;" sed temerariis emendationibus nonnulli substituerant: nam et *vieti* et δειλοί *gente* s. θηλυγενεῖς sunt. — Johannsenii, quo diversa testimonia scriptorum conciliare studet, modus (p. 74 sq.), licet vera insint dictis ejus, ideo non sufficit, quod neque temporibus scriptorum distinguendis quicquam tribuit, neque eam luxuriam, quae proverbiis celebrata est, sed cujusvis potius urbis mercatoriae dissolutiorem vitam intelligit.

127) Legibus adeo sancitam fuisse γυναικοπαθείας turpitudinem, e locis male intellectis effecerat Paul. Merula, Cosmograph. pag. 593 sq.

128) Nulla unquam peregrinitate contaminatas fuisse leges et instituta Massiliensium, supra praedicare oblitus sum. V. praeconia Rhodiorum ap. Liv. XXXVII, 54. et testimonium Sernetti de Marincourt, qui hic fide dignus est, Tom. III. p. 431.

§. 4.

DE RELIGIONE MASSILIENSIUM.

Qui de numinibus et rebus divinis apud Massilienses scripserunt, fere omnes Celtica, Gallica, druidas cett. immiscent, et, quae recte traduntur, variis modis distorquent [129]); sed genuina prisci temporis monumenta et veterum scriptorum loci eos arguunt evidentissime. Magno enim consensu eo ducunt omnia, ex Ionicis religionum modis unum tenuisse Massilienses, quem singulariter, omissa reliquorum sacrorum Ioniae vel similitudine vel dissensione, quanta possumus brevitate excutimus.

Quum [130]) deducturi essent coloniam Phocaeenses, oraculum iis editum est, ut ab Ephesia Diana ducem navigationis expeterent; ibi consultantibus, qua ratione responsum deae impetrarent, Aristarchae [131]), honoratissimae matronae, per quietem

---

129) Neque tamen hoc mirum, cum aliis de causis, quae in aprico sunt, tum quod *Timagenes* adeo, nisi egregie fallimur, ap. Ammian. Marcell. XV, 24. Grut. fecit; unde aetas Timagenis incertior fit, quam esse putant. — Ceteris quaedam meliora habes apud Paponem, p. 484.

130) Strabo IV. p. 179. (271.) Adde not. 17.

131) Non dubito, quin in hoc nomine religiosum quid lateat; nam Ἀριστάρχειον vocabatur Dianae templum Elide conditum, teste

Diana adstitit, Phocaeenses cum imagine sacrorum comitari jubens; praeterea imperavit, ut idem fanum in urbe colona exstruerent, Aristarcham sacerdotem dicerent, in summoque honore haberent; et, si colonias instituerent, se colerent, suum simulacrum ibi ponerent, sua sacra, suos ritus obirent. Quae omnia executi sunt Phocaeenses religiosissime. Ἐφέσιον 132), templum deae, ut tutelaris, in arce conditum erat. Sed hoc mirationem incutit, quod scriptores ad unum omnes de Ephesia Dea narrant, Massiliae vero imago plane Graeca, minime multimammia ista cum animalium προτόμοις cett., conspiciebatur 133). Quid igitur? Artemis Dictynna,

Plutarcho Quaest. Gr. c. 47.; erat enim Diana etiam *magna regina Asiae*, et hoc potius nomine, quam in imitationem Agamemnonis, ei sacrificasse puto Agesilaum, cum in Asiam trajiceret; v. Plutarch. Ag. 6. (nam de Ἀρτέμιδι ῥυσιπολίδι hic cogitare non possumus cum Federo in Commentatione *de primo Epodo Agam. Aesch.* p. 38 sq.); hinc etiam Alexander ξὺν πάσῃ τῇ στρατιᾷ ὡπλισμένῃ καὶ ὡς ἐς μάχην ξυντεταγμένῃ pompam ei instituit. (Arrian. I, 18, 4.) Adde not. 135.

132) Id ejusdem formae fuisse, qua Ephesium ipsum, verisimiliter conjicit Spanhemius, *de praest. et usu numism.* T. I. p. 574.

133) Nam primum eodem plane habitu Dianam in Aventino dedicatam stetisse, auctor est Strabo IV. p. 180. (273.); cui tamen, acceptam eam Massiliensibus deberi ab Romanis, cum Eckhelio (numm. vett. p. 3 sq.) credi non potest; v. Casaub. notam; deinde nummi omnes Graecam imaginem exhibent; quam majorem vides in pulchra tabula e schedis Peirescianis ap. Papon.

cujus fabulis Cretensium a vita venatoria ad navigationes transitum involutum esse equidem arbitror, e Creta insula Phocidem pervenerat 134); ibi vero aliquot tantum gentes Phocaeensium recepisse eam et Phocaeam transtulisse videntur; nam, ut omnia sacra Graeca primitus instituta, etiam hoc aliquarum tantummodo familiarum fuisse, inde effici posse puto, quod Massiliae princeps dea erat, Veliae autem, coloniae itidem Phocaeensis, ne in uno quidem monumento sive nummo compareat *), neque a scriptoribus memoretur; hinc inter colonos

---

p. 662. Nam ex stupenda multitudine nummorum Massiliensium unum tantum novi, qui Ephesiam Dianam cum cerva cett. exprimeret, editum ab Eckhelio, numm. vett. anecd. p. 3. Tab. I. Fig. 3. (cf. eund. in doctr. numm. P. I. V. I. p. 69. et Mionnetum Nr. 176.); unum, inquam, quia fortasse idem est is, cujus obiter meminit Begerus in *Thesauro Brandenb.* T. I. p. 362. Nihilominus Creuzerus ipsam „Pantheae hujus imaginem ejusque cultum a Phocaeensibus Massiliam et in colonias latam" narrat in *Symbolik* cett. T. II. p. 178. ed. nov.

134) Optime multa de hac dea disseruntur in: *Mémoires de l'institut. national. litt.* T. I. p. 170-180. ad inscriptionem commode Massiliae inventam: ΘΕΑ ΔΙΚΤΤΑ ΔΗΜΟϹ ΜΑϹϹ. . . ; doctius tamen et accuratius a Muellero in *Aeginet.* p. 163-170., ubi praesertim, quatenus ea fuerit *maris numen*, exponitur.

*) Nam quos Muenterus (*Velia*, p. 51. not.) deprehendisse sibi visus est nummos Velienses, Dianae imagine insignitos, ipse cognoscere poteris (nam titulum libri iis exornavit) non exhibere Dianam Massiliensium nummis celebrem.

Massilienses potiores fuisse gentes ejus deae cultrices conjicio; quis enim, neglecto familiari cultu, alienum ipsis ab oraculo Delphico obtrusum esse crederet? Deinde nullum, cujuscunque modi sit, vestigium mihi quidem conspectum est, quod Asiaticum illud et simulacri et cultus Ephesii ingenium ante annum DC a Graecis receptum esse, concedere nos necessario cogat; Ephesi igitur Dictynnae Dianae majus quoddam sacrum ac sanctius sacerdotium antiquis temporibus extitisse videtur, unde potius, quam ab se, ducem petebant Phocaeenses ejus Dianae cultores. Haec paucula tantum et magnam partem e conjecturis pendentia hic leviter significari poterant, cum longas quaestiones consilium libelli excludat; sed ita difficultates omnes tolli, neque vim inferri rebus apertum est. Ephesiae Dianae nomen permansit, quod revera eandem se venerari Massilienses (uti novimus de Graecis) opinabantur. Sacerdotem deae an omni tempore Epheso arcesserint, quod omnes tradunt, ego vehementer dubito [135]). Ceterum a Massilia haec Diana transiit in

135) Ἱερὸν quidem λόγον (nam ita paene appellarem narrationem Strabonis, not. 130.) in vetustis religionibus nullo tempore non sequebantur; neque tamen is diserte praecipit; deinde illud: *ἀρχιέρειαν ἴδος ἐκ τῆς μητροπόλεως λαμβάνειν*, mihi quidem maxime dubium est; cf. disputata a Muellero *Aeginet.* p. 45., qui non effecit, ut hoc ubique servatum putem; et hic cultus

loca capta et colonias, inter quas nomine commemorantur Emporiae, Rhoda [136]), Hemeroscopium, ubi in arce posita erat [137]), insula Metina [138]). Per longissimum tempus Diana in illis regionibus variis modis, quos referre longum est, cultum tenuit [139]).

Deinde Apollinem Delphinium, cui et ipsi deo marino cum Dictynna interior quaedam intercedebat conjunctio [140]), multum venerabantur; in-

quasi metropolis alia erat, atque civium; unde non tam sancta, opinor, habebatur; denique celebris inscriptio Sponii (not. 109.) in hac re dubia est; num *ἀρχιέρεια* 'Ασίας *ναοῦ* fiebat *ἱέρεια* τῆς Μασσαλίας? An vero Ephesum administrato Massiliensi sacerdotio rediit? Ante fuisse videtur Flavonia Hermocratis uxor, post, sacro munere inito, dicebatur 'Αρίστιον. Cf. 'Αριστάρχην in not. 131. Et hinc fortasse ratio petenda est, cur Protis Pettae nomen mutaret in Aristoxenam; nam peregrinitas ejus, quae sacerdotio ineundo obstitit, variis modis superari poterat.

136) Strab. III. p. 160. (241.) Tamen pauci nummi Emporitani Dianam et leonem Massiliensem habent; v. Florez, *medallas de las colonias — de España.* P. II. Tab. 24. 25.

137) Strab. III. p. 159. (239.)

138) Strab. IV. p. 184. (280.) c. not. Casaub.

139) Quibus temporibus adhuc superstes fuerit, v. in Martino T. II. p. 98. Imo etiam hodie Massiliae usum aliquem e Dictynnae cultu petitum obtinere dicunt; v. Guysii, *voyage en Gréce*, p. 337 sq.

140) Mueller. *Aeginet.* p. 170.; nam Strabonis κοινὸν Ἰώνων πάντων

de templum ejus item in arce positum habebant [141]). Munera ipsi in gratiam beneficiorum Delphos mittebant, ubi proprium adeo θησαυρὸν possidebant [142]). Verum non adeo multis in nummis ejus caput expressum invenimus [143]).

Tertia maximae venerationis apud Massilienses dea erat Minerva, cujus et ipsius templum cum

---

nimis fluxum, neque plane verum est. De dei natura v. omnino disputantem MUELLERUM I. l. p. 150 sqq.

141) Strabo IV. p. 179. (271.) cf. Begeri *Thesaur. Brandenb.* T. I. p. 362.

142) Ita post pugnam ad Alaliam, v. HEYNIUM not. 34. Justin. XLIII, 5. §. 8. (Guesnaj. I, 10. §. 4) Victoriae gratia cusum Apollini nummum, ubi fax incensa et Victoria taurum Massiliensem coronans inest, v. ap. MIONNETUM Nr. 145. — De θησαυρῷ v. Appian. II. frag. 8. (ad q. l. opt. not. Valesii ap. Schweighaeus. T. III. p. 148 sq.) et Diodor. XIV, 93.

143) V., ut brevis sim, RASCHII, Lexic. Numism. v. *Massilia*; et Mionnetum Tom. I. p. 67 sqq., Supplem. T. I. p. 133 sq., sed ubique fere laureatum, cum tripode, face, cett. Froelichio tamen (Animadv. in quosd. nummos vett. urb. (ed. Gorii. 1751.) p. 51.) in apicibus suis legendis fidem non habendam esse, norunt in nummis veteribus versati. — Obiter moneo, Musaei Vindebon. nummum, cui Apollinis ἀκερσεκόμου caput et equus pascens incusus c. litteris ΦΩ, ad Phocidem relatum ab Eckhelio D. N. P. 1. V. 2. p. 193., facile Phocaeae vindicari posse; v. Voss. ad Justin. XLIII, 3, 5. et simillimum nummum Massiliensem ap. Papon. T. II. Nr. 8. Grosson. p. 37. Nam ob pascentem equum de ludis Pythiis cogitari nequit.

sedentis simulacro [144]), in fallimur, in arce situm erat [145]). Simul inventa esse dicitur *Jovis* statua [146]),

---

144) „Πολλὰ μὲν τῶν ἀρχαίων τῆς Ἀθηνᾶς ξοάνων καθήμενα δείκνυται, καθάπερ ἐν Φωκαίᾳ, Μασσαλίᾳ, Ῥώμῃ cett." Strab. XIII. p. 413. ult. (ed. Casaub. 1587.) Non potest igitur rudis illa imago, quam Grosson. Tab. 15. Nr. 3. exhibet, Catumando in sommiis apparuisse (uti ipse vult p. 131 sq.); nam stans est, neque δεινὸν illud et venerabile habet, quod ξοάνοις inesse Pausanias dicit.

145) Ita intelligendum puto Justin. XLIII, 5, 6.: „Cum in *arcem Minervae* venisset" (Similiter Johannsen. p. 83.) Grossonem rudem illam Minervae statuam alibi invenisse, nihil probat. Phocaeenses probabile est (v. Meursii lectt. Atticae T. II. p. 1089 sq. Lam.) cum Apolline veneratos esse *Minervam* Προνοίαν sive Προναίαν, quam post Lennepium CREUZERUS (*Symbolik*, T. II. p. 790 - 99. ed. nov.) probavit saepe fuisse Apollini πρόναον, (adde p. 712 sq. et MUELLERI *Doriens.* T. I. p. 235.); Num igitur haec etiam fuit Apollini πρόναος, cum Justinus subjungat: „conspecto *in porticibus* simulacro deae" et similem fuisse Phocaeensi simulacro, Strabonis locus modo laud. ostendat? Ceterum innumerabiles sunt nummi Velienses Minervae capite et littera Φ (i. e. Φωκαίων.) signati; v. MIONNETUM T. I. p. 173 sqq. Supplem. p. 325 sqq. Consedisse igitur ibi, quod jam supra aperui, diversae plane Phocaeensium familiae videntur; nam rara admodum Minerva in nummis Massiliensium.

146) v. Grosson. p. 107. 131. 136. cui tamen, quod ex intemerata Graeca religione esse videtur ea statua Jovis, accedere non possum contendenti (p. 137. coll. 154.), *Dolichenium*, Tab. 19. et pulcrius ap. Spon. Miscell, p. 79. exhibitum, prope illam in eodem templo stetisse (de Dolichenio v. Spon. l. l. Bouch. p. 61.). Sed omnis res incertissima. Cf. Minervam et Jovem συν-

quem etiam in nummo elegantissime elaborato laureatum conspicias [147]). Deinde pulcherrimum signum Minervae ex ineunte puto imperatorum tempore superest, casside, peplo induta et aegide colubris nexa, dextro pede in globo nixa, multum similis deae Romae [148]). Serius vero aevum tulit Minervam in Aegyptiacum habitum transeuntem [149]).

Deorum marinorum, Massiliae cultorum, neque monumenta nobis supersunt, neque scriptorum loci.

Floram dicere videtur antiquam deam Massiliae Justinus, dum Floralia brevi post initia Massiliae memorat; sed ejus certum vestigium detexi nus-

---

νάοις in arce Agrigentina, ap. interpp. ad Steph. B. v. Ἀτάβυρ. p. 133. Pined. Insuper Grosson. p. 191. peculiare templum Jovem Massiliae non habuisse putat; sed et hoc incertissimum. (Cf. Johanns. p. 81.)

147) Papon. Tab. 3. Nr. 9. Ab altera parte nummi est *Ala* pulcherrime expressa; v. Grosson. p. 40. Non intelligo. Prius cogitaveram de applustri, simili forma in nummis Emporitanis expresso. Raschius in Supplem. Lex. n. T. I. p. 416. de hoc nummo: „Ala symbolum vel aquilae imperii, vel victoriae velocitatis." Kirunius in Diss. laud. p. 5. ad conditorem Delphici templi Πτερῶνα refert e Pausan. Phoc. p. 321.

148) V. Grivaud de la Vincelle, *Recueil de monuments antiques*, Paris. 1817. Tab. 24.; idem sagaciter monstrat T. II. p. 214 sq., Minervae imaginem sensim similiorem redditam deae Romae.

149) Grosson. p. 171.

quam [150]); deinde Romana erant et dea et festum [151]); denique hoc genus scriptorum vetusta novis nominibus illustrat, recentia vetustis nobilitat.

Bacchum vero et *Martem* aperte nummi agnoscunt [152]).

---

150) V. XLIII, 4. — Deam coronatam floribus et ornamentis ex aure pendulis T. I. Tab. 63. Nr. 2. Mionnetus pro Flora habuerat; sed jam in Supplem.. T. I. p. 133 sq. Floram eam esse „*sive Dianam*“ inquit; nam saepius pharetram insuper et arcum gestat, ut Supplem. Nr. 317.; et tridentem Neptuni in aure gerere, sive gubernaculum post se habere solet. v. Bouch. p. 77. Ita saepius Diana oliva, lauro, floribus caput cincta in nummis nobis se offert, sine dubio post victorias, paces cett. v. Grosson. p. 27. 32. (sic Minerva ib. p. 150.) Sed Wachtenus in *Archaeolog. nummar.* p. 80 sq. „Floram sive Chlorin a Graecis in Galliam allatam (v. not. 4.) censet; hinc in nummis ejus caput descriptum esse; sed ad hanc sententiam defendendam nihil, nisi Justini locum affert. Consentit, itidem nihil illustrans, Harduin. Opp. Select. p. 101.; Agnethler., Nummophylac. Schulz. P. I. p. 13. al. Sed recte Begerus in Thes. Brandenb. p. 362.: „Nullum Florae in nummis Mass. indicium!“ Bouchius p. 78. Aristarcham esse putat. Beger l. l. satis acute pro capite Veneris habet, ob τὸ ἱερὸν τῆς Πυρηναίας Ἀφροδίτης (v. Strab. IV. p. 178.) et promontorium Venereum et Massiliense; cf. id. Numophylac. Sch. p. 50. quod si haec non erit, illa dubitatio, ad Dianam abesse diadema, illico diluitur nummis 6 et 8. in Tab. 36. Combiana e Museo Hunteriano, ubi in certa Diana Massiliensi diadema non detegitur.

151) Italam sive Sabinam deam esse intelligimus e Varrone L. L. IV, 10. v. Creuzeri *Symbol.* T. II. p. 1002 sq 1005. Festum a. 243. Romae introductum. cf. Creuzer. T. IV. p. 607 sq.

152) Bacchus cum uva ex vertice pendula Gross. Tab. 5. Nr. 2., idem

Mercurii et *Dioscurorum* signa nonnunquam conspiciuntur in nummis.

Juno cum Apolline et Diana in ara triquetra efficta est [153]); praeterea *Cerealis* et *Bacchica* ara Massiliae servantur, sed dubium, an ibi inventae [154]).

Ignotam deam sylvestrem, cui victimae humanae cadant, e vago rumore de Gallis Lucanum procreavisse arbitror [155]); cum enim ex aliis locis, tum

---

fort. galea tectus, e qua fluit uva; Gross. p. 38., nisi forte, quod potius habeo, in Tab. 3. Nr. 2 et 3. ad antiquam Minervam, singularem Naturae deam, respicitur, quod efficio ex Luna ab altera parte conspicua. V., ne longus sim, locc. ap. Creuzer. *Symbol.* T. II. p. 717. 731. T. IV. p. 221 sq.: nam quae inde efficit, non ita certa sunt omnia; adde II. p. 788 sq. — *Martem* a Romanis accepisse videntur; comparet enim nonnunquam cum Aquila. Gross. p. 27.

153) V. Mylius, *Fussreise* T. IV. P. I. p. 151.; fortasse tamen e Graecia huc perlata.

154) Id. p. 152. Tab. 85. Nr. 3. Ambiunt eam serta e spicis et papavere texta, in bucraniis suspensa, personis comicis et tragicis inserta. De alia persona tragica v. eund. p. 155.

155) V. III, 399 sqq. De ἀνθρωποθυσίαις Gallorum v. Strab. IV. p. 302 sq. ibique Casaub.; *Cic.* pro Fontej. c. 10. Gallos „*ad hanc diem*“ homines immolare dicit. V. rem omnem ap. Serpettium de Marincourt T. III. p. 340-350., ubi addendus Cic. locus, et D. Ritterum (*Gesch. d. Gall.*) p. 215 sqq. Etiam ab Silio It. XV, 169 sq. Massilia dicitur „*populis cincta superbis, Barbarus immani cum territet* (Massiliam) *accola ritu;*“

e νεκυομαντείᾳ libri sexti apparet, quam vanis modis distorquendo res relatas et immaniter augendo mirationem auditorum sectetur.

Sero *Cybeles*, „Matris Idaeae Palatinae," cultum Massiliae introductum, omnia suadent 156).

Janus in ponduseulo aliquo incusus est 157).

---

ubi memorabili incogitantia Rupertius ab Lucani locum haec de Massiliensibus intelligit. Error late penetravit, sed egregiam Baylii notam B. ad Diction. philos. v. Dioscurides procreavit. cf. praeter scripta de Massilia Bertholdum *de ara* c. 20. §. 5. (Graevii Thes. antt. Rom. T. VI. p. 349.) De sylva ipsa v. Mylius, V. 4. P. 1. p. 309. Sed *Dianam Nemorensem* (v. omn. Sponii *Miscell.* p. 88.) post ad aram sylvestrem cultam fuisse, mihi dubium non est (v. Fragm. inscriptionis ap. Bouch. p. 18. 59 sq. cf. Guesnaj. 18, 1. 2.); humana tamen ossa ibi non invenit Grosson. p. 205 sq.

156) V. inscr. ap. Papon. p. 369. Gross. p. 112. Ceterum inscriptionum de ea ingens numerus per Provinciam extat, sed plerumque Tauroboliorum mentionem faciunt (v. Creuzer. *Symb.* T. II. p. 58 sqq.). Tamen prioribus temporibus Massiliae haec dea culta esse potest, cum e Phrygia mature in Ioniam transiisset (cf. Hoeckii *Creta*, T. I. p. 133.). Sed nihil definio. Insignium ejus imaginem v. apud Grosson. p. 157 sq. V. Bouch. p. 57 sq. et Guesnaj. I, 16. §. 6.

157) V. Grosson. p. 202. *Jani sacerdotem* multi Massiliae fingunt ex inscript., quam post alios et Bouchium p. 53. optime exhibet Grosson. Tab. 42, 3. p. 267 sqq. Sed verba inscriptionis depravatissimae: ΚΤΡΕΙΝΑ, ΚΟΡΝΗΑ. ΙΑΝΩ. ΙΕΡΕΙ ΑΕΤΚΟ ΘΕΑ, quae imperite vertunt: *custodi coronarum Jani sacerdoti*

Extremorum temporum est *Harpocrates*, bacchicorum et pantheorum insignium plenus [158]). Simul coli solebat *Jupiter Serapis*, cujus et ipsius imago Massiliae inventa [159]).

De *Leucothea* ejusque sacerdote nihil definio [160]).

Romani dii, in latinis inscriptionibus frequenter memorati, vel ad Romanos in provincia degentes pertinent, vel ultimis temporibus colebantur.

Festa Massiliensium, neque ipsis peculiaria, neque ab aliis mutuo sumta diserte nobis traduntur. Floralia quidem Justini *Anthesteria* *) fuisse facili conjectura assequi possumus. Deinde *Thargelia*, quae Apollini sacra erant [161]), celebrata Massiliae

---

Leucotheae, ita legenda sunt: Κυρείνᾳ (? nomen viri puto) Κορνηλιάνῳ ἱερεῖ Λευκοθέας.

158) V. Guesnaj. p. 80, 5. Grosson. p. 145. Praecip. Grivaud de la Vincelle in op. laud. T. II. p. 242. (Tab. 30. Nr. 4.) coll. p. 38 sqq. — De re v. Sponii *Miscell.* p. 16., praecipue vero ejusd. *Recherches curieuses d'antiquité*, Dissert. VII. p. 124 sqq.

159) Grosson. p. 171.

160) V. not. 157.

*) De his v. collecta Meursii in *Graec. fer.* (Vol. III. Opp. ed. Lamii, p. 798 sqq.)

161) De his praeter Meursium in Graec. fer. s. v. vid. omn. Muelleri *Orchomen.* p. 166 sq. et *Doriens.* T. I. p. 326 sq. — Pe-

fuisse apparet ex narratione Petronii: „Massilienses quoties peste 162) laborabant, unus ex pauperibus se offerebat alendus anno integro publicis et purioribus cibis. Hic postea ornatus verbenis et vestibus sacris circumducebatur per totam civitatem cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala civitatis: et sic de rupe projiciebatur." — *Sacros* denique *ludos* factos esse, apparet ex inscriptionibus, quae de Gymnasiarchiis memorant 163) et de victoriis Epheborum.

Deinde sacerdotum etiam cognitio nostra admodum exigua est. De Dianae sacerdotio passim locu-

---

tron. locus in fin. Satyr., ubi cf. Erhardi *symbolas* p. 682. (ed. 1621.) Ad ritus omnino vid. Tzetzes in Chiliad. V. c.25. Recentt. v. ap. Hendreich. p. 2967.; cf. Martin. T. I. p. 268. Adde locum *Pythoclis* de Phocaeensium homicidio in cultu Dianae Taurobolae ap. Muenter. *Velia* p. 23 sq.

162) Qua saepe vexatur urbs nostra. V. praeter laudatos a Meursio, Mylius *Fussreise* V. IV. P. I. p. 174.

163) Quid sit γυμνασιαρχία, v. ap. Boeckh., *Staatshaush.* T. I. p. 494 sqq. Inscriptiones v. in not. 94. et ap. Papon. p. 27. et Gross. p. 209. — Ad certamina juvenum in Gymnasiis respicere videtur etiam *columna fune annexo* juncta in nummo Massiliensi ap. Neumannum, *nummi populor. et regum vett.* T.I. princ., nec erat, cur V. d. Tom. II., p. 180. sententiam mutaret. — *Flavonia* in inscr. Sponii erat ἀγωνόθετις, i. e. praeses ludorum, interpretante Sponio. — Cf. Guesn. I, 18, 5., qui et *Gymnasium* inter clara urbis aedificia ponit.

ti sumus [164]). Verum non per vitam, sed *per certum temporis spatium* sacerdotia gessisse videntur [165]). Qui fuerint στεφανήφοροι [166]) me certo non exputare fateor. Ἱερεὺς et ἱέρεια τῆς Μασσαλίας, simpliciter dicti, videntur Dianae et Apollinis fuisse [167]). *Collegium Apollinis Flaminum* [168]) posterioris temporis est, et προφήτης [169]) obscurus.

Non inepte hic etiam de potioribus insignibus Massiliae moneri posse putamus; nam omnem ornamentorum et insignium in nummis varietatem persequi longum foret. Prius, *leo*, in ingenti multitudine argenteorum numismatum [170]) exhibetur, sed

164) Massiliam *castrum Ephesi* vocatam esse, unde refert Guesnaj. p. 36. ?

165) Flavonia erat στεφανήφορος δίς, Demetrius in Marm. Oxon. laudd. ἱερεὺς τῆς Μασσαλίας το γ'.

166) V. de iis Eckhel. D. N. P. I. V. 4. p. 212. Dionys. Hal. II, 74. *Flamines* ita appellat. — Flavonia fuerat πρύτανις στεφανήφορος. Si forte πρύτανιν in inscr. Oxon. etiam de sacerdotio intelligere velis, non adversor; res supra not. 94. adstructa fortasse nihil detrimenti faciet.

167) Alter Demetrius, altera Flavonia in inscr. laudd.

168) Grosson. p. 288.

169) Id. p. 267.

170) Cf. Grosson. pag. 25.; in lucernis adeo obvia est; id. pag. 186 sq.

causam ejus, quae sufficiat, nondum inveni [171]). Altera pars nummorum, aeneorum quidem, *taurum minacem* [172]) habet; causa in mytho latere videtur, cujus nihil nisi *explicatio historica*, similis navigio Europae parasemate tauri insignito [173]), in narratione de Tauroenti originibus relicta nobis est [174]).

§. 5.

AGRI MASSILIENSIS PROVENTUS.

Ante universum territorium Massiliense accurate hic designare animus nobis erat; sed, cum in tanta veterum indiciorum inopia et ambiguitate

---

171) Phocenses eum jam habebant; cf. Wachteri *Archaeolog. n.* c. 8. §. 7. Harduin. (Opp. select. p. 101.) provocans in Pausan. X, 18. rem non expedit. Vanus est Guesnaj. I, 28, 1. 2.

172) Unum tantum novi quietum, ap. Grosson. p. 82 sq.

173) V. Hoeckii *Creta*, T. I. p. 84 sq.

174) Potiores sententiae aliorum: Taurum W. Lazius in Gronov. Thes. T. VI. p. 3448. in Epiroticis nummis *de victima* explicat; Harduin. l. l.: „bos index opimi pascuis agri.“ Spanhemius (de praest. et usu T. I. p. 171.): „bos fertilitatis et deductae coloniae signum.“ Alii pessime cogitarunt de tauro in nummis Thesei (Plutarch. 25.). Denique confusa quaedam habet Creuzerus *Symbol.* T. IV. p. 131. — *Pegasum* Phocaenses tulisse Massiliam, putat Passa infra laudandus p. 65.; sed nullum extat ejus vestigium.

multa e regionum natura aliisque signis conjici et mappa potius geographica, quam verborum ambagibus, lectorum oculis subjici deberent, ea vero jam dari non posset, totus ille locus praetermissus est; nam etiamsi (quam rationem alibi tenuimus) solis veterum testimoniis inhaerere voluissemus, misera tamen ipsorum, etiam incertorum, paucitas nimis pro libelli consilio longas disputationes flagitasset; et gravia exponenda supersunt; denique pauca dilucide tradere, quam multa leviter tangere maluimus *).

De Massiliensis coeli benignitate soli natura, et regionis ingenio in principio commentationis diximus; jam fructus et proventus ejus exponendi sunt; cum vero iidem fere in singulis terris per multa saecula permaneant, eorum, quae de hodiernis narrantur, pleraque etiam antiquis temporibus valuisse necesse est; sed si manca veterum indicia recentiorum ope probabiliter supplere velimus, longissima narratio evasura esset [175]). Veterum igitur scriptorum vestigia premimus [176]).

---

*) Tamen potissima Massiliensis ditionis loca cum ipsi partim inter Romanorum donationes memoravimus, partim in coloniis recensebimus, tum Valesius in *Notit. Gall.* p. 320 sq. collegit, cui addas Petr. Quiqueranum, *de laudib. Provinciae*, Lib. III., praesertim fol. 72 sqq.

175) Princeps hic scriptor est Darlucius, *histoire naturelle de Provence*, (Avenione. 1786. III Voll.) cum in universo opere, tum

Omnium potissimas fruges fuisse uvam et olivam, inde apparet, quod Strabo [177]) e cunctis has tantum commemorat, et soli ingenium ita significare studet. Non multum quidem vini e Massiliensibus uvis confici poterat; sed id pingue, succosum, sive, ut Deipnosophista ait, παχὺ καὶ σαρκῶδες [178]). Clara sub imperatoribus erant fumaria Massiliensia [179]). Et olivam et vitem primos Massilienses in Provinciam tulisse auctor est Justinus [180]). Seselim et siser Massiliense Plinius [181]) et Dioscorides praedicant. Fru-

V. III. p. 1 sqq. p. 147 sqq. — V. Guesnaj. p. 633 sq. Bouch. I, 6. p. 46 - 50. 88. Quiqueranus modo laud. Lib. II. (Paponis) *Voyage litteraire de Pr.* p. 169 sqq.

176) Ita etiam Hendreich. p. 2953 - 56., qui quos locos accurate laudavit, ego non indicabo.

177) IV. p. 180.

178) V. Plin. H. N. XIV, 6. Athen. IV, 36. p. 152. Ex recentioribus v. Guerin in *Mémoires de l'Acad. de Marseille.* Tom. VI. p. 121 - 160., quae est prior Dissert. pars huc pertinens.

179) V. locc. Martialis collectos a Gutsio *Marseille ancienne* — p. 7. Cf. Andr. Baccius, de vinorum historia Lib. VI.

180) XLIII, 4. De vino probat Serpette de Marincourt, T. III. p. 385. et egregius Reynier in libro: *l'économie des Celtes*, cett. (1818.) p. 362. et copiosius p. 472 sqq. — Arborem, quam dicunt *oranger*, summitti non posse solo Massiliensi contendit Papon. I. p. 501.; unde Nicaeam primam ejus cultricem vocat.

181) Ubi v. Lobelii Obs. p. 457., ab Harduino laudatas. — De ἐλλεβόρῳ tamen Massiliensi, quod prius ferebant, nihil est; v. Schneider. ad Theophrast. T. III. p. 761.

menti vero sterilem hanc tellurem fuisse narrat Strabo, ob asperitatem. Sed panicum sive milium tum temporis copiose in illo solo crevit, quod hodie paene nullum est [182]).

De animalibus hoc tantum memoro, perniciosa ibi non degisse, nisi cuniculos, λεβηρίδας sive βεβορίδας Massiliensibus dictos, quorum impetum damnosissimum a Strabone [183]) descriptum videas.

Prope Massiliam erant lapicidinae, et salinae fructuosissimae [184]). De terra lateribus aptissima hodie aliter sentiunt Vitruvii interpretes [185]). Electrum etiam, Theophrasto teste, in illa regione effodiebatur [186]), et pretiosissimi carchedonii sive carbunculi *). Ceterum fossiles pisces, praecipue mu-

---

182) Optime hoc ex scriptoribus probat Reynier. laud. p. 423 sq.

183) V. Strab. III. p. 99., l. 42 sqq. (ed. 1587.) ubi Grammaticus in Casaub. nota illud nomen Massiliensium esse dicit, de quo v. Schneider. ad Eclogg. phys. p. 33. et in Lexico s. v.

184) V. Guesnaj. I, 13. §. 2. et p. 639 sq. Fortia d'Urban supra laudatus, p. 9 sq.

185) V. I, 3. quem locum Rhodius cum Schneidero correxit; v. not. ej. in translat. Germana.

186) V. Diltheji, Diss. *de electro et Eridano*. 1824. p. 15.

*) V. eund. Theophr. *de lapidib.* §. 18., ubi de ingenti eorum pretio miranda narrat et de fructu Massiliensium e venditione

giles (*κεστρεῖς*), de quibus dubitari non potest [187]), et mirabilis ille campus, hodie *la Crau* dictus, super quo tam copiose Strabo exposuit [188]), antiquissimis temporibus violentas in illo tractu et aquarum impetu et ignibus subterraneis terrae conversiones factas esse docent.

Mare in sinu Gallico piscibus abundat; frequentiores et clariores ceteris omnibus sunt thynni, quos prius ingenti hamo sive capulo excipiebant [189]), post in magna retia illectos ab alia caverna in aliam scaphis agebant, usque dum in ultimam, „mortis cavernam" (hodie *le corpou*) devenirent, ubi fustibus caedebantur [190]). Porro multi barbati Massilienses

---

eorum; v. ad l. l. Schneider. T. IV. p. 552., praecip. T. V. p. 146 sq.

187) V. omnes vett. locos ap. Tzschuckium ad Melam V. III. P. 2. p. 491., et plurimos recentiores, qui rei veritatem a Melae dubitationibus vindicant et explicant. p. 492 sq.

188) IV. p. 182 (276.) sqq. Cf. *Posidonii reliquias* ed. Bake, 1810. p. 123 sq. Darluc., T. I. p. 288 sqq. Mylius, *Fussreise* V. IV. P. 1. p. 12 sqq. et nuper von Hoff, *Geschichte der Veränderungen der Erdoberfläche*, T. I. p. 295 sq.

189) V. Aelian. H. A. XIII, 16. De *capulo* v. Tzschuckium ad Melam V. II. P. 2. p. 405 sq. et V. III. P. 2. p. 493.

190) Hunc modum, qui paene totus hodierno simillimus est, narrat Oppian. Hal. III, 620 sqq.; nam πηλάμυδες (Guesnaj. I, 6. §. 5.) sunt *parvi thynni*, v. Rittershus. ad IV, 505.; sed v. omnino

(τρίγλαι) nomen habebant [191]). Etiam xiphiam in illo mari degere, ex Oppiano efficitur [192]). Ostrea Massiliensia memorat Ausonius [193]). Praeterea etiam pretiosos lapides, auctore Theophrasto, in hoc mari piscabantur [194]); et „laudatissimum in Gallico sinu circa Stoechadas insulas coralium gigni" scribit Plinius [195])

Haec sunt, quae veteres e proventibus Massiliensibus celebrant.

§. 6.

DE NAVIGATIONE, COMMERCIIS, POTENTIA MASSILIENSIUM.

Quantopere olim inter omnes Graecos Phocaeenses navigationibus excelluerint, Herodoti luculen-

---

Gυsιυм in *Voyage en Grèce* p. 197 sqq., ubi diserta narratione et tabula aenea rem pulchre expedit, et adde, quae de Velia et de vico Parghiliano, quem accolae pro colonia Phocaeensi habent, e Millinio et Grimaldio refert Muenter. *Velia*, p. 43 sq.

191) V. Dio Cass. XL, 54.; Ascon. in argum. ad Cic. Milonianam.

192) Cf. Harduin. ad Plin. XXXII, 6. (p. 836.).

193) Ep. XIII.

194) Eos Martinus T. II. p. 301. pro *coraliis* habet.

195) Plin. XXXII, 2. (§. 11.); v. Darluc. T. III. p. 202 sqq.

tissimo testimonio supra comprobavimus [197]); idem eos ad expeditiones suas non rotundis, sed longis navibus quinquaginta remorum ordine usos esse narrat. Agilia haec et clara navigia Massilienses ad omnia negotia maritima retinuisse, admodum credibile est [198]). Qui quidem inter barbaras et feras gentes constituti, arctissimis in littore frugum haud feraci limitibus circumscripti, omnem vim quasi in mare explicare, indeque victum et potentiam repetere coacti erant *); ibi vero etiam vel primis temporibus cum aemulis civitatibus, quae brevi in hostiles cedebant, erat conflictandum. Praeter alios, qui mare istud navigabant, ut Phoenices, Rhodios, Carthaginiensium potissimum et Tyrrhenorum [199]) intererat, ne mercator populus, praesertim ista sol-

---

197) V. optime de Herodoti loco agentem Heynium in Diss. II. de Castoris Epochis (Commentar. novi Gott. II.) p. 59. cf. Uckerti *Geogr. der Gr. und Röm.* T. I. P. 1. p. 40.

198) Hinc nomen nactae sunt *ναῦς ταχυπλοοῦσαι Μασσαλιωτικαί*; Polyb. III, 95, 6. (cf. Hendreich. p. 2974.), quarum eximiam celeritatem ignoro qua de causa non agnoscat Uckertus T. I. P. 2. p. 307.

*) V. locum egregium et de Massilia gravissimum Montesquieu, *Esprit des loix*, L. 20. c. 5.

199) De quorum conjunctione praeter not. 28. vid. Uckert. T. I. P. 1. p. 55 sq. Inde corrige errorem Benedicti in libro haud malo: *Versuch einer Gesch. der Schifffahrt und des Handels der Alten*, p. 304.

lertia et audacia, in illis locis consideret. Tamen, sicut terrestribus incursionibus barbarorum, ita maritimis impugnationibus aemulorum Massilienses tanta virtute resistebant, ut Carthaginiensibus victis pacem saepius darent 200). Eximie dolendum est, incrementa rei navalis Massiliensis nusquam diserte nobis narrari; sed mihi non admodum violentos videri fateor illos Carthaginiensium impetus fuisse, quia posterioribus admodum temporibus Massilienses de Ligurum, qui navibus non ita potentes erant, injuriis a mari sibi illatis Romae queruntur 201), nisi forte mercatibus vacare, quam ad improvisos incursus hostium stationes tenere maluerunt. Sed de his paulo inferius.

Jam cum tempora non ubique distinguere possimus, locorum potius seriem sequamur, ad quae Massiliensium navigatio pertenderit. Primum cum metropoli et aliis Ionum oppidis commercium permansisse et per se intelligitur, et monstrant nummi Massilienses, in quibus illorum insignia cusa sunt. Idem de Graeciae et Italiae inferioris, de Corsicae, Sardiniae, fortasse etiam de Siciliae locis quibusdam valere mihi videtur, nisi quod in his multa singu-

200) V. Heerenii *Ideen*. T. II. P. 1. p. 106. et Campomanem ibi laud.

201) Liv. XL, 18.

laria obtinuerunt, et magna conditionum varietas, quam saecula abolevere 202). Verum *occidentalium* regionum erat eorum navigatio et mercatura, cujus pars definitius cernetur in coloniarum recensu, partem hic tractabimus.

Quod Strabo 203) dicit, „Herculis Monoeci templum nomine Graeco conjecturam praebere, eo usque Massiliensem navigationem pertingere (διατείνειν)" hoc aliter intelligere non possum, quam eo tempore, quo Tyrrhenorum potentia maritima floruerit, eos ab urbe sua usque ad illum locum mare tenuisse, tum cum Romanis communem θαλασσοκρατίαν habuisse, nunc nullam; *esse* igitur hunc finem imperii maritimi Massiliensium. Primis jam temporibus Hispaniae non littora solum legebant, sed hic illic stabiles sedes capiebant. Novimus Hispaniae metalla et alia bona; ea inde magna copia petebant Massilien-

202) Haec sigillatim persequi, ut in tanta monumentorum paucitate, dubiae et longae disquisitionis esset; e. c. noctuam in nummo ap. Grosson. Tab. IV, 12. T. IX, 7. (ut in Veliensi ap. Eckhel. D. N. P. I. V. 1. p. 165.), ad commercium cum Atheniensibus retulerim; non ita tamen, ut frumentum inde accepisse putem Massilienses, qui error e Demosthene male intellecto fluxit Martinio (nisi forte Brezillacio) T. II. p. 300. — V. Muenterum in *Velia*, p. 44 sq. Plura infr. in coloniis.

203) IV. p. 202 (310.) sq. addita nota Casaub.

ses [204]). Ultimus locus, in quo consederant, ultra columnas Herculis erat *Maenace* [205]). Ulteriora si investigare volumus, tenebrae spissiores fiunt, et unicum ducem habemus clari nominis Pytheam, ad cujus peregrinationes conformare poterimus navigationum occidentalium cognitionem.

Pytheas Massiliensis [206]), Alexandro M. aequalis, vel animum sequens, vel a Massiliensibus missus,

---

204) Clarissimum exemplum nobis servavit Aristoteles, mirab. auscult. 88. p. 179. Beckm. Cf. Papon. p. 539. Martin. T. I. p. 646 sqq. De *Latera* civitate, „*quacum Massiliae incolae Negotiorum saepe versabant vices*," v. Guesn. I, 7. §. 5.

205) Massiliensium erat, licet Strabo Φωκαϊκὸν τόπον appellet cum Uckerto T. II. P. 1. p. 349. V. Raoul-Rochett. T. III. p. 423 sq. post Martinum T. I. p. 323. not. *i.* et 308 sq.

206) De Pythea tanta scriptorum copia extat et tam ambigua sunt et incerta pleraque eorum, quae super hoc viro traduntur, ut h. l. mihi cavendum sit, ne altius in ea penetrem atque ita, quae dicerem, disertius tueri ac defendere debeam. Ex amplo hoc quaestionum campo in hac scriptione nonnisi ea afferam, quae necessitas coget. Scriptores de eo fere omnes habes ap. Uckertum, T. I. P. 2. p. 298. 299., quibus adde praeter Papon. p. 510 sqq. 612 sqq. quaedam in Radloffii *neue Untersuchung des Keltenthums*, p. 87. 95 sqq. et praeclara verba St. Crucii in *Examen critique des histor. d'Alex. l. Gr.* p. 664 sq. not. (ed. 2.) Ipse Uckertus p. 298-309. omnium maxime sobrie de Pythea egit, cujus sententias non possumus quin maxime probemus.

dum Phoenicum vestigia premeret, occidentalia littora Galliae praetervehens in Britanniam navigavit, a Britannia sex dierum cursu ad Thulen insulam (Shetlandicarum unam) pervenisse dicitur, de qua multa narrabat; tandem, ex septentrionalibus insulis ad continentem redux, ulteriora littora sequens ad Cimbricam Chersonesum penetrasse, Albimque pro Tanai habens fines Europae ex opinione sua assecutus esse. Quantum hujus cursus, ex quo quae vera sint difficillimum est dictu, ante Pytheam Massiliensibus jam occupatum fuerit, plane nescimus; sed ultra oram Britannicam prius venisse non videntur. Ad eam vero, praesertim post lapsa Phoenicum commercia, cum Carthaginiensibus accedebant; Pythea tamen, per quem navigatio eorum haud dubie magna incrementa fecit, forsitan auctore Cimbricam Chersonesum, ut electrum inde peterent, saepe visebant 207). Quo autem modo in his itine-

207) V. Heinzii *neues Kielisch. Magazin*, T. II. p. 339., laudante Uckerto. Dilthejus in Diss. *de electro* p. 21., omnem illam disceptationem de eo, quid olim arduum et difficile fuerit necne, in rebus historicis parum valere recte censet. Verum bene Uckert. p. 306. contendere videtur, propriora loca tum temporis succina praebuisse, quam littora Borussica, quae acriter etiam de Phoenicibus tenet Dilthejus non hic solum, sed etiam ad Taciti German. c. 45. p. 290. Si tamen non detur, Massilienses ad oram Borussicam venisse, haec p. 22. subjungit: „Intra Britanniam certe et Borussiae littora navigationis com-

ribus aemuli sibi obviam facti alter alterum habuerit; evitaverit, an hostiliter invaserit; et utri quoque tempore primas tenuerint, difficile est intellectu [208]). Carthagine tandem excisa potentior urbs nulla in hi maribus negotiabatur; sed hujus mercatus vel vestigia temporibus deleta sunt.

Eadem, qua Pytheas, aetate Euthymenes columnas Herculis transgressus ad meridiem vertebat; in causa vero fuisse fructuosissima commercia Carthaginiensium in littoribus Africae et insulis adjacentibus [209]) facta, mihi probabile admodum videtur [210]). Sed quem ea peregrinatio in rem publicam eventum habuerit, quam deinde mercaturam in illis regionibus Massilienses fecerint, investigare in veteribus non potui.

Relicto mari, ad terrestres Massiliensium negotiationes transeundum est. Ibi gravissimam omnium mercaturam cum Gallia agebant. Galli quidem

mercia extitisse ex Pythea cognoscimus, et Phoenices longinquioris cursus itinera . . . . consulto alios celasse compertum est.“ V. Heerenii *Ideen*, T. II. P. 1. p. 181.

208) V. Heerenii *Ideen*, T. II. P. 1. p. 168.

209) Quae exposuit Heeren. ibid., T. II. P. 1. p. 182 sqq.

210) Ita Bougainville in *Mém. de l'Acad. d'Inscr.* T. XIX. p. 161. Quid invenerit, v. ap. Uckert. T. I. P. 1. p. 113.

metalla, mel, caseos, frumenta, lanam, coria, pelles, pecora, canes, servos et permulta hujusmodi e terra sua exportabant [211]), quae ad Massilienses potissimum vel permutatione vel, posterius quidem, venditione perveniebant; Massilienses vero magnam vini et olei vim in Galliam invehebant [212]), quia ante dominationem Romanam neutra arbor ibi colebatur; sed memorabile est ingens pretium, quo Galli vinum sibi comparabant; unam amphoram servo quidam permutaverat [213]). Verum cavebimus, ne tam cogitate haec commercia instituta et disposita putemus [214]); necessitas pleraque extorserat, et bella saepissime interrumpebant. Deinde plumbum album (κασσίτερον), quod Carthaginienses mari, ipsi terrestri itinere triginta dierum e Britannia vel Cassiteridibus [215]) transvectum a littore per Galliam petebant [216]), ita de Poenis sibi caventes [217]). Sed

---

211) Diligenter ex veteribus collegit Reynier, *l'économie des Celtes*, p. 357-360.; sed tempora non satis accurate distinguere mihi visus est.

212) V. Reynier. p. 362 sq. Unde *arma* etiam Gallis a Massiliensibus subvehi solita esse doceat Serpette de Marincourt (T. III. p. 438.) nescio.

213) V. Reynier. p. 473 sq.

214) Sicut Reynier. p. 356.

215) De his praeter ceteros v. Heerenii *Ideen*, T. II. P. 1. p. 178. et acuta multa apud Reynier. p. 364 sqq.

216) Diodor. V, 22.; et de Massiliensibus intelligendos esse *peregri-*

etiam, posterioribus certe temporibus, factum esse videtur, ut Galli negotiatores plumbum illud ad Massilienses deferrent [218]). Tria denique itinera mercatorum potissimum Massiliensium e vestigiis Strabonis, Caesaris, aliorum recte inventas breviter significavit *Benedictus* [219]), quae ego non repetam.

In Hispaniam Massilienses ipsos altius penetrasse, mihi compertum non est; de Emporitanis tamen novimus.

Ceterum ad aliorum commercia naves suas nonnunquam locabant naucleri Massilienses [220]).

Sine dubio permutatione mercium cum barbaris negotiabantur; sed venditionem etiam in usu fuisse, fortasse e magna copia rudissimorum nummorum, quos a Graecis cusos esse sibi non persuadet

---

nos mercatores jam probavit Bougainvillius l. l. p. 158 sqq. not. h. V. Heeren. l. l. p. 179 sq., qui de vigente mercatura inter Galliae et Britanniae littora monet; cf. Uckert. T. I. P. 1. p. 169.

217) Hoc consilium eorum esse etiam putavit Mélot, in *Mém. de l'Acad. des inscr.* T. XVI. Litt. p. 163.

218) V. Benedicti *Versuch einer Geschichte der Schifff.* cett. p. 240 sq. cui adde Caesar. B. G. III, 8. IV, 21.

219) V. eund. p. 241 sq.

220) V. Demosth. Except. in Zenothemin. T. II. ed. Reisk. cf. Martin. T. I. p. 472 sqq.

Eckhelius [221]), Massiliae insignia ferentium commonstrari poterit. Tum illud memorabile, nullum adhuc inventum esse aureum nummum, quem Massilia procuderit, sed infinitam plane multitudinem aeneorum, argenteorum, inauratorum [222]). Fortasse huc trahi potest mirabilis glossa Hesychii: „Φωκαΐς, ὄνομα ἔθνους, καὶ τὸ κάκιστον χρύσιον" et Eckhelii [223]) verba: „Hactenus Phocaeensium nummus *aureus* vel argenteus visus non est." Coloniarum *florente metropoli* nullus nummus detegitur *). Falsariorum malas fraudes mutatis ad tempus signis avertisse videntur [224]). Nihil quicquam in nummis Massiliensibus ad imperatores spectat.

---

221) D. N. P. I. V. 1. p. 68. q. v.

222) V. praeter scriptores rei nummariae Papon. p. 647. Gross. p. 24. Bouch. p. 79. et V. D. in Mercurio Francogall. (ann. 1722. Sept. p. 31-38.), quorum dicta vera esse cognoscuntur e nummis in locupletissimo museo Gothano servatis et e collectione Mionnetiana. — Inauratos et argentatos publico judicio probatos fuisse, credit Grosson. p. 36.

223) D. N. P. I. V. 2. p. 535. — Tamen *Stater Phocaicus semper aureus erat!* v. Boeckhii *Staatshaush.* T. I. p. 24 sq. T. II. p. 300. Phocaeensi auro opponebatur *Colophonium* ut optimum, v. Erasm. Adag. p. 921.

*) Cf. Grosson. p. 81. et infr. not 272.

224) V. Grosson. p. 46. ad Tab. 5. Nr. 4. cf. Tab. 9. Nr. 8. Et multi inveniantur falsi nummi; Papon. p. 653 sq.

Nummi eleganter et nitide admodum cusi sive fusi *) in mentem revocant artifices Massilienses, qui a veteribus celebrantur [225]); tamen peculiaria quaedam et singularia, mercatura ad alios populos perlata, eos confecisse non novi ab aliquo memoratum esse **).

Quum floreret Massilia, in insignissimis et nautico et bellico apparatu urbibus praedicatur. Spolia permulta e pugnis navalibus ubique in urbe affixa erant [226]). Tum a Strabone saepe cum Cyzico componitur, cujus egregiam omnium rerum instructionem ipse Mithridates stupuit [227]). Verum quid

*) Fundebant enim etiam nummos. Laudant Caylusii *recueil de l'antiq.* T. V. p. 159 T. VI. p. 331.

225) E. c. Strabo, IV. p. 180. Eustath. ad Dionys. 75. In multis inscriptt. (ap. Papon. p. 28. 42. Grosson. p. 273.) insunt collegia *Dendrophororum*, qui lignis negotiabantur et ad usus praesertim bellicos subministrabant; v. Sponii *Miscell.* p. 86 sq.; deinde similia opificum collegia e. c. Antipoli; v. Papon. p. 39. 48. 54.

**) Inde fortasse Montesquutius (*E. d. l.* Lib. 21. c. 8. p. 57. Genev.): „Massilia magis invidia quam industria aemulam Carthaginem aequans."

226) Strab. IV. p. 180. cf. Hendr. p. 2981.

227) Strab. IV. p. 180. (273.) XII. p. 575. (862.) XIV. p. 653. (965.) De apparatu *Cyzicenorum* v. Wassii excursum apud Poppon. ad Thucyd. P. I. V. 2. p. 480 sqq.

sit, quod Caesar reginam maris, quae nulla dum detrimenta fecerat, non de lucro, sed de salute cum exteris auxiliis pugnantem *septendecim triremibus* destruxerit, non satis fateor mihi apricum esse [228]). Ad terrestrem vero oppugnationem propellendam perspicue major erat apparatus [229]).

Sicut aliae urbes mercatibus deditae, copiis mercenariis utebantur, praecipue Gallis [230]).

Opibus prae ceteris conspicuam non solum negotia fructuosissima reddebant, sed vectigalia quoque, praesertim quae permittentibus, sive potius tradentibus Romanis ad ostia Rhodani exigebant; fossa enim Mariana [231]) ducta, turres ibi erexeunt, omnibus modis ista loca sibi vindicantes; ita ingentem pecuniae vim quotannis inde colligebant [232]).

---

228) Cf. Papon. p. 537 sq.

229) V. locc. ap. Hendr. p. 2975. E. F.

230) V. praeter Caesaris locos Polyb. III, 41. cf. Heerenii *Ideen*, T. II. P. 1. p. 106 sq.

231) V. collecta ap. Tzschuckium Melam V. III. P. 2. p. 476 sq. Bouch. p. 161 sqq. accuratissime vero situm horum locorum monstratum videas a von Hoff, in libro saepe laudato. T. I. p. 287-295. Nummum, in quo bos capite humano praeditus Rhodanum amnem significare videtur, equidem huc referrem; imperite Grosson. p. 35. pro Minotauro habet.

232) V. totam rem ap. Strab. IV. p. 183 (279.) sq.

Tributaria denique oppida in Massiliensium ditione fuisse etiam sine scriptorum testimonio certum esset, nisi Strabo saepius memoraret.

§. 7.

DE FOEDERIBUS MASSILIAE.

Ut Massilia in his terris, gentibus his locum et potentiam adepta atque tuita ad magnam nos rapit admirationem: ita unam certe ipsi sociam contigisse et opibus pollentem et fide diurna constantem vehementer gaudemus; majore tamen laetitia afficeremur, si plane sincera et candida animorum utriusque populi haec amicitia fuisset. Sed singulare hoc est in amicitiis Romanorum, praesertim iis, quae ante domitam Italiam junctae sunt, ut dijudicare non possimus, quae sociis bene fiant, ex interiore quodam caritatis sensu fiant, an ex sola utilitatis et lucri conscientia; nam si, cum respublica avaritia nondum plane correpta esset, una commodorum et emolumentorum spe ductos omnia, quae veri studii, verae benevolentiae signa ferrent, fecisse eos statueremus, injuriam ultro arbitror magno populo imponeremus. Sic egregiae ex societate Massiliensi Romanis redundabant utilitates: primum, licet nemo veterum prodat, magno ipsis usui erant in rei nava-

lis rudimentis; deinde multa, quae ad belli apparatum pertinerent, Massilienses mercatores ipsis assidue subvehebant; quum vero arma Romana ulterius grassarentur, bellorum Liguricis gentibus inferendorum et praetextus erat haec amicitia [233]), et insigne adjumentum auxiliumque, uti supra ostendimus. Gravissimum autem omnium, ni fallor, emolumentum cernebatur in *tuto ac munito transitu in Hispaniam* [234]), unde et opum et fortitudinis gloriae Romani capiebant plurimum. Ut tandem omnis, quam ex Massilia petere poterant, quasi exhausta erat utilitas, non amplius curabant, et obsidione debilitatae plura etiam bona detrahebant, quibus suas potius colonias cumularent. Quae quidem, ut falsi puto nihil continent, ita *sola* haec sequentes prioribus temporibus Romanos amicitiam cum Massiliensibus coluisse, prorsus nego; tamen sinceram benivolentiam et studii candorem, cujus multa *prius* in hac societate infuisse contendo, in dies magis in fucatam favoris et amicae voluntatis simulationem cessisse apparet *).

233) Monuit etiam V. d. in *Mém. de l'Acad. des inscr.* T. XXIII. p. 161 sq.

234) Inde tanta cum cura viae in ista regione sternebantur; v. Cic. pr. Fontej. 4. — Sed etiam Massiliensibus commoda inde redundabant; cf. Montesquieu. *E. d. l.* L. 20. c. 8. p. 37. Genev.

*) Locos si cupis de amicitia Romanorum, v. praeter scriptt. de

Post bellum Punicum primum hoc foedus junctum esse, ante non potuisse, supra demonstravimus [235]). At hic nescio quo modo *Niebuhrius* in ipsas acuminis sui insidias incidit; decumam enim partem praedae Vejentis Delphos missam Livius et Diodorus Siculus narrant [236]); quorum hic subjungit, in Massiliensium thesaurum eam esse perlatam; *inde demum* et muneris Delphos missionem et foederis Massiliensis antiquitatem *veram et historicam fieri* pro compertissimo Vir egregius contendit [237]). Quam gravia in quantilla re nixa! Qui studio correptus non erit, post, amicitia juncta, cupientibus Romanis in Massiliensium thesauro ἀνάθημα illud collocatum dicet. Conditores enim Massiliae Tiberim invectos amicitiam cum Romanis inchoasse, id quod Justinus tradit, tam multis rebus falsum arguitur [238]), ut singulas attingi non opus habeam;

Massilia Angelum Majum ad Cic. de republ. I, 27. De *fraterno nomine* loqui solent Panegyrici vett., laudd. ab Rittershus. ad Salvian. p. 177. (571.)

235) Jam video Mannertum *Geogr.* T. II. P. 1. p. 83 sq. idem similiter ostendere.

236) Liv. V, 25.; Diodor. XIV, 93.

237) *Römische Geschichte*, T. II. p. 239.

238) Cf. Mannert. l. l. Tamen multi etiam acuti viri crediderunt. Ad alteram coloniam refert Serpettius de Marincourt T. I. p. 60 sq.

tamen pulchrum et amabile commentum est. Neque minus venustum est alterum, ex quo, cum Romanum nomen, quantum pro viribus possent, in barbara hac ora tuerentur, eundem animum in pristina Gallorum cum Romanis bella transferebant, auro et argento publice privatimque collato se pacem optimis sociis redemisse narrantes [239]).

Inde etiam *postea* ducebant, quae prae ceteris urbibus sibi erant apud Romanos insignia: immunitas a tributis, vectigalibus aliisque oneribus, locus in theatro inter Patres datus; et aequum jus foederis i. e. amicitia populi Romani [240]).

Quam religiose et Romani et Massilienses foederis hujus fidem praestiterint, quam insignibus et auxiliis et muneribus illi hos ornaverint, dum „Massiliensium sociis viribus (ut Ammianus loquitur) in discriminibus arduis aliquoties fulta esset Roma,“ supra saepe indicavimus, et assidui sunt scriptores in harum rerum commemoratione [241]).

---

239) V. Justin. XLIII, 5. §. 8 sq. Sed non memorant neque Liv., neque Plutarch., neque Diodorus (XIV, 116.), neque aliorum quisquam. V. Johannsen. p. 41 sq.

240) V. Justin. ib. §. 10. c. nott. Bernecceri. Dianam Aventinam tum in honorem Massiliensium dedicatam esse, de suo temere addit Serpettius T. I. p. 89.

241) V. locc. in Hendreich. p. 2982 sq. et Kriegkio, infra laudan-

Praeterea nulla foederis, quod cum aliena gente Massilienses fecissent, nobis notitia servata est; nam quod Hispaniense foedus narratur [242]), de coloniis Massiliensium intelligi debet; neque ulla gens se nobis offert, de qua sine fontibus probabiliter affirmare possimus.

§. 8.

DE COLONIIS MASSILIENSIUM.

Civitates Graecae, potissimum Ionicae, coloniis deductis mercaturam provehere et propagare, potentiaque et opibus hic illic paratis tueri solebant. Ita Massilia quoque aliquot colonias instruxit, de quibus quia sigillatim tractari non potest, brevem recensum dabimus [243]), at indicaturi, ubi exhibeantur uberiora.

Antiquissimae erant fere omnes; nam nonnullae ab ipsis Phocaeensibus conditae perhibentur; quod

do, p. 303. — Erant *P. Scipionis* clientes, qui ap. Cic. de Repbl. I, 27.: „*nostri* cl." — Saguntinis auctores fuisse Massilienses, ut cum Romanis foedus inirent, unde referat Guesnajus I, 11. §. 3., non inveni.

242) E Livio a Guesnajo I, 12. §. 2.

243) Abbatis d'Aillaud *histoire des Colonies de Marseille* lucem non vidit. v. Guysii *Marseille* — p. 150.

etiamsi factum est, tamen Massilienses imperium earum ad se traducebant. Cunctas autem, Emporiis fere exceptis, metropoli ita subjectas fuisse, a Massiliensiumque consiliis ita pependisse, ut propriam mercaturam gravioris momenti agere non possent, inde apparere videtur, quod, dum illa potens erat, *nulla* colonia *proprios* nummos procudit. Ceterum sacris etiam et religionibus, ut supra passim memini, et rerum publicarum similitudine, ut credi par est, cum metropoli arctissime conjunctae erant.

Tauroentum [h. *Le bras de St. George et l'Evescat*] 244) primam dicere licet, quippe cui a Phocaeensium colonia Massiliensi (priore, an posteriore, non liquet) disjectae aliquot naves in illum locum delatae initium dederint; sine dubio egregio portu allecti et aliquid religiosi sequentes ibi permanserunt; nam Taurus, navigii parasema, ut supra monui, historica fabulae explicatio esse videtur 245);

244) Bouche, et Wessel. ad Antonin. Itin p. 506.

245) Narrationem Stephanus Byz. se petiisse ait ex *Apollodori γεωγραφουμένοις*; sed Heynius ad Apollodor. T. I. p. 432. recte *Artemidorum* substituere videtur. De forma nominis v. Tzschuck. ad Melam, V. II. P. 2. p. 380-82.; de situ eund. V. III. P. 2. p. 469 sq. V. Marin, *Mémoire sur l'ancienne ville de Tauroentum et histoire de la ville de la Ciotat.* 1782., ubi

quam arcte vero cum Massilia cohaeserit, praeter alia, ni fallor, ostendit insigne urbis Taurus, quod ex eo mytho, cujus vestigium hic habemus, ortum esse arguunt Phocaeenses et Velienses nummi, *taurum plane nusquam* exhibentes. A Caesare *castellum Massiliensium* vocatur.

Deinde primis haud dubie temporibus *Citharistam* portum, et alia loca, tum *Stoechadas* insulas obsederunt, quas de ordine *Proten* (h. *Porqueyroses*), *Mesen*, post *Pomponianam* (h. *Protecroz*) et *Hypaeam* (h. *l'isle du Levant* s. *du Titan*) dicebant [246]. Optimi ibi erant portus et agri frumentiferi. — Sed cum, quo ordine Massilienses singula loca in possessionem redegerint, ac suis modis condere et colere inceperint, erui hodie non possit, ea tantum, quae scimus ab iis originem duxisse, ad situs ordinem recensebimus.

---

tabulam portus videas. Adde: Thibaudeau, *sur les nouvelles ruines trouvées prés de Taur.* in *Mém. de l'Acad. de Marseille*, T. III. p. 108-122. et Achard, *sur Tauroentum*, ibid. p. 184-194. cf. Mylius, *Fussreise* V. IV. P. 1. p. 286 sqq. — Eo diruto habitatores concessere Citharistam (de qua Tzschuck. l. l. p. 470.), Papon. p. 366.

246) V. Strab. IV. p. 184. Schol. Apollon. IV, 553. Bouch. I, 7. De numero discrepant, quia alii, praeter Strabonem, duas minores „οὐκ ἀξιολόγους“ omittunt; v. interpp. Melae II, 7. §. 20. Mylius, *Fussreise* V. IV. P. 2. p. 16 sqq.

Non multum post alterum Phocaeensium adventum credibile est eos in his locis colonias deduxisse, quia, barbaris conterminis maria infestantibus, necessitas cogebat; et sane princeps earum videtur consilium fuisse, ut Massiliensium ad illa littora cursus ne cohiberentur; nam et agrum fere non habebant, et nonnullae mediocri admodum portu erant 247).

Olbia (h. *Eaube*) e regione Stoechadum 248).

Athenopolis 249), quam veteres non dicunt coloniam Massiliensium fuisse, sed fuisse videtur.

---

247) Cfr. etiam Strabo IV. p. 185., qui praeter Massiliensem et τὸν κατὰ ναυσταθμὸν portum omnes ibi dicit esse mediocres.

248) De situ v. Tzschuck. ad Melam V. III. P. 2. p. 469. Mannert. T. II. P. 1. p. 88. Oppidum boni ominis gratia vocatum apparet; tamen examinari hic mereretur nomen Alpium „ὄλβια" ap. Athen. VI, 4., quod ex Posidonio, harum regionum apprime gnaro, haustum existimat Radloff. (*Neue Untersuchungen des Keltenth.* p. 111.)

249) Mitto de ea et Olbia disputationes; v. Tzschuck. ad Melam V. III. P. 2. p. 468. Post *C. Sextium* cum Olbia conditam esse putat Papon. p. 516. Olim eam pro „*Academia honestarum et liberalium disciplinarum Massiliensi*" habuerant, ob Plinii: *Athenopolis Massiliensium*, e. c. Dupleix, *hist. générale de France* T. I. p. 114. Ruffi I. 3. §. 6. et plurimi alii; ne multa, propagatus est is error multis successionibus usque ad Johannsenium (p. 94.), quamvis jam a. 1596. correctus fuerit ab Abr. Ortelio in *Thesaur. Geogr.* s. v.

Antipolis (h. *Antibe*[250])) non longe ab occidentali ripa Vari fluminis sita, Vintio, Nerusorum capiti, aliisque oppidis Liguricis *opposita*[251]). Triumviratus fere secundi temporibus metropolin Romae accusavit, et, Massilia damnata, libertatem sive immunitatem a Massilia adepta est et jus Latii accepit[252]); unde puto nummi ejus ordiuntur, *Victoriam, plerumque trophaea coronantem; cum Lepido praefecto* exhibentes[253]). Clari erant ejus thynni[254]). Inscriptiones *Latinae* theatrum et varia opificum collegia memorant. — E regione sitae sunt *Lero* et *Lerina* insulae (*St. Marguerite*) ab ipsis cultae[255]).

Nicaea (h. *Nizza*) trans Varum in Italia post victoriam de Liguribus, ut fertur, condita[256]). Pro

250) Apud plebeculam: *Antiboul.* v. d'Anvill. p. 69.

251) V. Tzschuckium ad Melam V. III. P. 2. p. 466. Martin. T. II. p. 91 sq. Mylius V. IV. P. 2. p. 107 sqq.

252) Strab. IV. p. 184. (281.), unde a Plinio majore *oppidum Latinum*, a Tacito (hist. II, 75.) *Narbonensis Galliae municipium* vocatur.

253) Praeter Papon. p. 554. v. Eckhel. D. N. P. I. V. 1. p. 66. et multo plura ap. Mionnetum P. I. p. 65. Supplem. P. 1. p. 130 sqq.

254) Martial. XIII, 103. IV, 89. c. interpp.; inde *muria* fiebat.

255) Pro duabus enim habendae sunt, major altera, altera minor. v. Mannert. T. II. P. 1. p. 111. In Strabone fort. lacuna.

256) V. Petri Joffredi *Nicaea civitas* cett. (in Graevii Thes. Antt.

portu plagiam habet [257]). Posterioribus etiam temporibus Massiliae agris accensebatur, licet avulsa esset Antipolis [258]).

Portum Herculis Monoeci (h. *Monaco*) [259]) a Massiliensibus conditum esse, certa vestigia non habemus; et aperte Strabo etiam nescivit [260]); tamen veri simile est. Parvus admodum portus erat.

Ab altera parte sitae sunt:

Agatha (h. *Agde*) [261]) sine dubio post victoriam de Volcis sive de Iberis ad Araurim exstructa, et Ἀγαθὴ τύχη, ut Timosthenes Rhodius (aequalis Ptolemaeo alteri) vocaverat, appellata; postmodo nomen brevius factum.

Ital. T. IX. P. 6.) prolegomenis, praec. c. 3. Tzschuck. ad Melam V. III. P. 2. p. 465. Mylius V. IV. P. 2. p. 138 sqq.

257) V. Mannert. T. IX. P. 1. p. 269. (ed. 1823.)

258) V. Raoul-Rochett. p. 419. e Strabone.

259) V. Mannert. l. l. p. 273. Mylius l. l. p. 229 sqq.

260) V. dicta pag. 76. supr. Temere Martin. T. II. p. 307.

261) De situ v. Tzschuckium V. III. P. 2. p. 487 sq. Ménardum in *Mém. d'Acad. des inscr.* T. XXVII. p. 118 sq. et Martin. T. I. p. 218 sq. tum p. 221. 305. Mylius, T. II. P. 2. p. 183 sqq. Fortasse ad Agatham spectat nummus ap. Mionnetum, Supplem. T. I. Tab. X. Nr. 8., juvenili capite, litteris incertioribus ΑΓΑΔ

Rhoda (h. *Rozes*) ad Hispaniae oram prope Tichis fluvii ostium ab Rhodiis condi quasi inchoata, paulo post primas peregrinationes Phocaeensium ad Arganthonium [262]); deinde cum Rhodiorum in his maribus potentia sensim ad Phocaeenses et Massilienses transiret, ab his occupata et sine dubio aucta est [263]); quae qualiscunque occupatio in Massiliensibus nummis celebrata esse videtur [264]); Emporitanos vero, quos alii pro conditoribus habent, Massilienses illius urbis incolas fuisse statuimus [265]). *Rhoda* autem urbs sive *Rhodanusia ad Rhodanum*, quam vide ne etymologi Rhodani antiquae Rhodio-

---

262) Hoc sane persuadet Raoul-Rochett. T. III. p. 407., nec audienda Grossonis p. 86 sq. interpretatio Plinii. Praeter Tzschuckium V. III. P. 2. p. 521. de situ et nomine v. quae collegit Uckert. *Geogr. d. Gr.* T. II. P. 1. p. 424. not. 91. Cf. Paulsen. *de Rhodo*, p. 66. — Ab Rhodiis postea etiam *rosam* in nummis habebant, v. Mionnet. T. I. p. 48. cf. Creuzeri *Symbol.* P. I. p. 115. 118.

263) Strab. XIV. p. 654. (967.) nam quod ibi legitur Ῥοδοπή jam recte emendavit Casaub. — Bellum cum Rhodiis inde sibi finxit Hendreich. p. 2978.

264) V. significantissimum nummum ap. Grosson. Tab. 9. Nr. 11., et explicantem Eckhel. P. I. V. 1. p. 70.; adjungendus est alius nummus ejusd. tab., in quo idem flos ex aure Dianae pendet; cf. Gross. p. 87.

265) Strab. III. p. 241. cf. Eckhel. l. l. p. 55. Ceterum *templi Herculei ruinas* Rhodae superesse memorant Mariana, I, 14. et *Annales de Cataluña*, L. 3. c. 4.

rum in his locis mercaturae memores sua mente condiderint, si extitit aliquando, mature deleta est 266).

Emporiae (h. *Ampurias*) 267). Prima aedificia ponebantur a Phocaeensibus in insula terrae vicina 268), quae urbis pars παλαιὰ πόλις postea vocata est; deinde in terra continente CCCC stadiis a Pyrenaeo

266) Multi eam pro colonia Massiliae habebant, etiam Heynius in Commentarr. nov. G. T. II. p. 43., e Steph. Byz. s. v. Ῥοδανουσία et Ῥαδανουσ., ubi potius in Massiliensium ditione eam fuisse intelligendum videtur; deinde memorant Plinius (cf. Voss. ad Melam, V. II. P. 2. p. 421. Tzschuck.) et Scymnus cum Rhodano, ille quidem ut deletam; praeterea nihil de ea scimus; v. locc. ap. Martin. T. I. p. 73. coll. ejusd. not. u. p. 218 sq; sed Strabonis locus alienus est. Eckhelii nummo l. l. p. 70. jam in not. 264. recte usi sumus.

267) De forma nominis v. Tzschuck. ad Mel. V. II. P. 2. p. 423. V. III. P. 2. p. 522. Sed memorabilis extat scriptio: Jaubert de Passa, *notice historique sur la ville et le comté d'Empurias*, in *Mém. de la Société royale des Antiq. de France*, Tom. V. (1823.) p. 1-86., qui copiosissimis fontibus erudite et acute usus est. Adde Petr. de Marca *Marca Hispanica*, Lib. II. c. 18. Garibay *historia de España*, V, 5. — Loci classici ap. vett.: Strab. III. p. 159. (241.) et Liv. XXXIV, 9. — Strabo quidem (consentiente Uckerto T. II. P. 1. p. 423.) a Massiliensibus primum deductam dicit, Livius et Plinius a Phocaeensibus, quos recte conjunxit Eckhel. D. N. P. I. V. 1. p. 48.

268) Obscuriorem hanc insulam *Annales de Cataluña* L. 3. c. 4. dicunt *Isla de Medas*. Adhuc exstat ibi *moles Phocaeensium*, a Passa p. 49 sqq. descripta et aeneae tabulae incisa.

monte ad ostium fluminis, quod insignissimum portum efficiebat, inchoata fortasse a Phocaeensibus urbs, a Massiliensibus exstructa est; brevi aucta accolis Ibericis, muro quidem urbis intermedio divisis [269]) et seorsim suam rempublicam administrantibus. Procedente vero tempore Graeca et barbara instituta inter se temperata et in unum quasi collata sunt. Post Julius Caesar etiam colonos Romanos Emporitanis, jam bello Punico secundo Romae amicis [270]), adjecit; usque dum civitas Romana in unum corpus collegit omnes *). De reipublicae forma nimis cuperem certa cognoscere, quae ex nostris fontibus sciri non possunt. Instituta quaedam ad disciplinam urbis pertinentia eximia voluptate apud Livium leges. Religiones a Massiliensibus habebant; nam venerabantur itidem Dianam, quae diserte a Massilia huc translata dicitur **), Minervam et Apollinem; sed Minerva, quia omnium frequentissime in nummis apparet, princeps dea fuisse videtur. Herculem fortasse Phoenicibus debebant ***). Insigne

269) Hinc urbs δίπολις vocatur a Strabone. Singulorum, praecipue Graecorum, sedes describere et terminare e vestigiis veteribus studuit Passa a. p. 47 sqq. itidem tabula aenea adjecta.

270) V. Liv. XXII, 60. XXVIII, 42.

*) Cf. Martin. T. I. p. 589 sqq.

**) V. supr. p. 58. et not. 136.

***) V. nummos ap. Passam Nr. 6. 7. 12. 13., ad quos ipsum p. 70 sq. et 77 sq.

urbis Pegasus. Nummorum imagines *) ad Siculu-lorum quandam similitudinem accedere observat Eckhel., quod ad commercia cum Siculis adjuvanda instituisse Emporitanos recte conjicit [271]). Cum hac urbe Massilienses maxima omnium commercia ex interiore Hispania agebant [272]).

Inter Sucronem fluvium et Carthaginem novam *tria* olim extitisse *Massiliensium oppida*, Strabo **) auctor est, e quibus unum distincte refert:

Hemeroscopium (Ἡμεροσκοπεῖον), in altissimo littore late conspicuum, celebri templo Dianae ornatum, unde vel idem locus, vel vicinus quidam vocabatur *Dianium* (h. *Denia*) sive *Artemisium*, metallis ferri uberrimus [273]). Num hoc alterum ex oppidis Strabonis? tertium plane non novimus.

---

*) Quos si accurate cognoscere vis, planissime, si quid unquam, ad veritatem expressos habes a Passa ad pag. 60.

271) D. N. P. I. V. 1. p. 47 sq.

272) Hinc permultos nummos ejus Massiliae invenerunt; v. Grosson. p. 80., qui recte ex Romanis inscriptt. colligit, Romano demum tempore Emporitanos nummos cudisse, et ipse non nisi unum graecum novi, ap. Florezium *Medallas de las colonias* — P. II. Tab. 25. Nr. 2., sed is quia in honorem Massiliae videtur signatus, nihil contra Grossonem facit.

**) v. III. p. 159.

273) V. Tzschuck. V. III. P. 2. p. 876., praecipue Uckert. T. II. P. 1. p. 403. — Quod Cicero (in Verr. I, 34. V, 56.) de Dia-

Insulae *Planesia* (h. *Isola Plana*) et *Plumbaria*[274]).

Alonis urbs et insula incerti admodum situs[275]).

Maenace[276]).

Haec fere certae sunt coloniae; nam Phocaeensium aliquas hic illic dici, quae Massiliensium sunt, neminem movebit, qui principis metropolios jura perspecta habuerit[277]). Difficilius est de oppidis *Abarnus*, *Troezene* (h. fortasse *Trez*), *Cyrene* (h. *Courens* sive *Correns*) judicium, quippe ex quorum commemoratione apud Stephanum Byz. effici plane non potest, originis, an ditionis tantum fuerint Massiliensis; similiter urbes, quae horum perhibentur, ditionis tantum erant, non originis, *Cabellio* (h. *Cavaillon*)[278]) et *Avenio* (h. *Avignon*)[279]).

nio dixerat, Sertorium inde cursus suos direxisse, id de Hemeroscopio Strabo narrat; imo in: *Beschrywing van Spanjen en Portugal*, Lugd. Bat. 1707. p. 82. narratur, etiam ante duo saecula illum locum *de wijk van Sertorius* dictum esse.

274) V. Strabo III. p. 159. (239.) ibiq. Casaub.

275) V. Raoul-Rochett. p. 423. Uckert. T. II. P. 1. p. 408.

276) V. supr. not. 205.

277) Tamen nonnulla turbavit Rambach., qui (de Mileto p. 23.) harum coloniarum recensum dare voluit.

278) Cf., ut brevis sim, Raoul-Rochett. p. 417.

279) V. Vales. s. v. p. 54. Verum Castruccius, istoria d'Avinione,

Sed plane falso tribuuntur Massiliae: *Caralis* (h. *Cagliari*) 280), *Neapolis* 281), *Arelate* (h. *Arles*) 282), *Forum Julii* (h. *Fréjus*) 283), *Taurinum* (h. *Turin*) 284) et *Heraclea Caccabaria* 285).

I, princ. probat, Graecam urbem non esse, imprimis ob *aprum* in nummis; permultos tamen Massilienses ibi degisse credit.

280) E. c. a Ruffio I, 4. §. 1. al. Profectum hoc ex errore vel vitio Diodori V, 13., ubi v. Palmer. et Wessel. Est *Carthaginiensium* colonia, teste Pausania X, 17, 5.

281) V. Raoul-Rochette p. 424.

282) Ab Hendreich. p. 2979. E. (cf. Bouch. p. 306.) Sed ne graeca quidem urbs erat.

283) Opinatur e. c. Martin. T. I. p. 306. ex loco Strabonis; sed fundum ibi erroris jam detexit et removit Grosson. p. 83. not. Tripodem Apollineum hic inventum a Massilia Forojulienses accepisse dicit Gurs. p. 8.

284) Sic Ruffius I, 4, 2., Guesnaj. p. 81., Paradinus, *Chronique de Savoye* p. 26., Wolfg. Lazius in multis locis; sed coaluerat in Steph. Byz. haec vox cum iis, quae de Tauroento retulimus. Vera de Taurino v. ap. Martin. Dissert. VI. §. 6. *Taur* enim Celtice est *mons*. ib. p. 91. 161.

285) Cur enim de hac geographi omnes tacerent, dum Olbiam non longe remotam memorabant? Neque Massiliensibus quicquam erat cum Hercule; inde etiam Heracleam, quam olim ad ostia Rhodani sitam fuisse Plinius dixit, cum aliis pro colonia Massiliensium habere non possum; neque est, cur habeamus; et de *Portu Herculis Monoeci* supr. p. 94. jam vehementer ambigo. De utraque urbe v. Bouch. *chorogr.* p. 158. 62. Ceterum in hujus Heracleae locum conditam esse St. Gilles perhibet auctor operis: *Histoire générale de Languedoc.* Vol. I. p. 4.; alii vero *Nogheres*.

Ceterum Coloniarum recensum hic posui, non, quod ante Romanum imperium deducta sunt, sed ut locum de commerciis et foederibus Massiliae ita plane absolverem.

§. 9.

MASSILIAE POST CAESAREM CONDITIO.

Ad ea denique tempora accedentes, quibus inclinata jam Massiliae potentia ejus urbis, cui fidelissima usque fuerat, vel ope vel permissione magis magisque frangebatur, illud certe solatium nobis adhibebimus, ut urbem nostram a primis originibus per septem paene saecula inter rudes et efferos homines nullam contagione, nedum suis mentibus, morum labem cepisse, nullum animorum dedecus in se admisisse reputemus: dum Romani a summa vitae castitate et sanctimonia angustiore quam septigentorum annorum spatio eo tandem devenerint, ut nihil intemeratum ab avaritia reliquaque impotentia maneret. Jam salva quodammodo republica sua multi et graves Romani Massiliae sedem magna voluptate, magno miseriarum solamine capiebant [286]; et cum honestissimum inter extera commorationis

286) V. exempla apud Guesnaj. I, 15, 7. Hendreich. p 2998 sq.

locum nominare vellet Catilina [287]), Massiliam nominat. Hinc factum, ut in dies major Romanorum multitudo ibi conflueret [288]).

Post Caesarem retinuit illa quidem αὐτονομίαν suam [289]); nullus praetor neque Massiliensibus, neque subditis locis jura dicebat [290]); recuperavit quidem, quae Caesar ipsi ademerat [291]); imo variis honoribus palam afficiebatur: tamen, cum Romani non amplius colerent et magni haberent amicam populi, ab aliis commoda ei adempta vindicasse non videntur; quod magis perspiceremus, si causa Antipolios dilucidius narrata nobis superesset. At suis coloniis quamcunque prosperitatem studiose, ni fallimur, conciliabant; sic Strabo [292]) suo tempore Narbonem

287) Sallust. Cat. 34., cui addas annotatt. ap. Havercamp. et Corttium.

288) Cic. pro Fontej. 1.: „Gallia (Provincia) plena civium Romanorum“ et alibi. E monumentis Grosson. p. 125. al. Hinc pro Italico potius quam pro Gallico tractu Provinciam habitam fuisse hominum animis probat Maffeus, *Galliae antiquitates selectae* (Paris. 1733.) p. 19 sq. 52.

289) Unde recte videtur explicari monumentum ap. Gross. Tab. XVI, 4. ab Caylusio et Papone p. 650. Grossonis conatus p. 139 sqq. stare non potest.

290) Strab. IV. p. 181. (274.) et not. 83.

291) Cic. Philipp. VIII, 6. XIII, 15. ib. Wernsdorf.

292) IV. p. 125. lin. 61. 129. l. 25. (ed. 1587.) cf. Reynier. lib. I. p. 354. — Non inepte etiam Mannert. (*Geogr.* T. IX. P. 1. p.

quasi Galliae emporium appellat, quae licet ipso teste mercatus dudum egerit, ante tamen clara non fuerat; exinde autem cum Arelatis eximie celebrabatur. Porro praeter Antipolin etiam alia oppida a Massiliensibus sensim abstracta esse verisimile est. Sed non solum infidelitas et studium Romanorum, etiam ipsa rerum natura mercaturam eorum debilitavit. Quum enim Gallia ante Ciceronis fere aetatem et bona Provinciae, in quibus potissima vitis et oliva, non possideret, et cum Romanis vix ulla commercia ageret, duplici emolumento, utroque ingenti, fruebantur Massilienses; sua magni vendebant, et, quae a barbaris facile acceperant, amplo cum commodo distrahebant; sed cum magis in dies Romana negotia in Gallia increbescerent, et plura prudenti ejus coeli usu facto colerentur ibi, Massiliensibus haec sensim exaruerunt. Atque haud absimilia alios eorum mercatus passos esse, facilis et tuta conjectura est [293]). Non miramur igitur, etiam Strabonis tempore in navibus et machinis conficiendis eximia assiduitate eos occupatos fuisse; sed optimi

---

268.): „*Das Andenken der Beleidigungen des Caesarischen Hauses blieb immerwährend der Schaden der Massilier.*“

293) Haec si probatione ex veteribus egerent, reperires ap. Reynierium, *économie des Celtes*, quod egregium opus, si singula hic excuti possent, ad permulta scitu jucundissima nos ducerent.

homines rempublicam, cui isti nervi incisi essent, ad robur et potentiam reficere non valebant.

Quid sit, quod nullus cujusquam imperatoris vel facie vel nomine signatus nummus inveniatur apud Massilienses, equidem assequi non potui; nam quis cogitet, tum eos monetam non cudisse?

Ex historia post Caesarem praeter ea, quae narravi, paucissima supersunt [294]). Plinii tempore Crinas dives medicus „centies H. S. reliquit, muris patriae moenibusque aliis paene non minore summa extructis" [295]). Simile ex haereditatione lucrum respublica ab exule Romano Vulcatio Moscho fecit [296]).

294) Guesnaj. (I, 15, 6.) Sext. Pompejum Cn. F. narrat Massiliam instauraturum advenisse, sed cum spem evanescere vidisset, mare latrociniis infestum redidisse; sed ea est Siciliensis expeditio Pompeji e Vellejo II, 72. 73. ad verbum recocta, verum mendaciis condita. Ita c. 13, 4. de Massiliensibus refert, quae ap. Diodor. XI, 88. p. 471. Wessel. de Syracusanis et de Phayllo leguntur.

295) Plin. H. N. XXIX. §. 5. med.

296) Tacit. Ann. IV, 43.

§. 10.

DE LITTERARUM STUDIIS.

Mirifica animi voluptate ea tempora salutamus, quibus historiae et philosophiae quasi Aurora in Ioniae beatissimo coelo exorta primam lucem in terras emisit. Vividae alacritatis et solertiae, felicissimae perspicacitatis mentes in illis regionibus earum litterarum et artium, quae sunt nobilissimae, principes portas aperuerunt. In rerum naturam et hominum mores atque instituta impigra cognoscendi cupiditate inquirebant; coeli, terrae et maris ingenium, vires et tempora altius inspicere studebant; mathesin quam dicunt, cum artibus mechanicis excolebant: ne multa, optimarum rerum scientia juveniliter in animis exsurgere coeperat, quum illustrissima Phocaensium colonia deduceretur. Neque profecto mari et ventis tradiderunt Massilienses, quae a patria quasi haereditaria bona acceperant; sed infuisse mentibus Ionicam industriam, neque effluxisse tantarum rerum curam et studium, vel unus *Pytheas* ostendit. Is gnomonis [297]) ope mathematicum situm Massiliae tam accurate definiverat, ut non ni-

297) Quem etiam nunc se servare credunt Massilienses. v. *Mylius*, V. IV. P. 1. p. 158.

si de quadraginta gradus particulis, quas nos *secundas* dicimus, erraverit[298]): quam ἀκρίβειαν isto tempore satis admirari nequimus; praeterea aliis etiam rebus tantam matheseos, coeli et virium naturalium cognitionem exhibuit[299]), ut dignum Aristotelis aequalem Massiliae agnoscamus. Et eo quidem, quod pauperem virum Polybius nominat, et quod nulla civitas eum sibi vindicat, in sola nostra urbe tantopere illis artibus imbutum esse probabile fit. Sequebatur Pytheam similium studiorum *Euthymenes*[300]), de quo pauciora servata sunt. Philosophum vero sive historicum clarioris nominis Massilia non protulisse videtur; sed eo majore studio in rerum naturalium perscrutationem, terrarum, aquarum, coeli vires ac leges investigandas, in eorum denique, quae ad rei nauticae et mechanicarum artium accuratiorem scientiam pertinent, comparandam cognitionem incumbebant. Quae poeseos ibi fuerint fata, obscurum est. Nam *recensio Homeri Massiliensis* ad grammaticos potius spectat; antiquior tamen ea est

---

298) V. Gosselinum T. IV. p. 61. coll. 316. cf. Uckert. T. I. P. 2. p. 300.

299) V. recensita a Murrajo in Novis Commentar. Gott. T. VI. p. 68 sqq. al.

300) V. Uckert. T. I. P. 1. p. 113. cf. Guesn. I, 27, 10 - 11. Papon., al.

et inter πολιτικὰς Ἰώνων διορθώσεις nomen habet, ab Alexandrinis grammaticis non neglecta [301]).

Verum [302]) postquam a vita negotiosa, saepe bellica, domitis barbaris, et mercatura accisa, in otiosiorem se redegerant, ampliore etiam studio litterae tractabantur; sed, ne ambagibus utar, illas tantum quae in rerum naturalium indole, viribus, effectis, etiam mensuris explorandis cernuntur, vera incrementa ibi fecisse, persuasum mihi est; rhetoricam autem et philosophiam eo modo esse agitatam, quo in talibus locis ac temporibus solet. Quando enim unice ad ornatum vitae, ad otium honeste peragendum, deinde ut dura, rudia, invenusta omnia ex animis et consuetudine pellantur, studia haec exercentur: facile ad talia abeunt, quae vera philosophia, oratoria vera digna non sunt. Hanc nisi so-

301) V. F. A. Wolfii *prolegom. in Homerum*, p. 175.

302) Praeter auctores historiarum Massiliae scriptorum, qui huc pertinent, magnam multitudinem laudavit Walchius, *de Massilia trilingui*, in Actis Societatis latinae Jenensis, V. III. p. 122. not. 8. Kuhnii Dissertatio not. 124. laudata est. — Quod jam ad superius caput facere debebam, Heerenii verba adscribam de Strabone in his primario fere fonte (Comm. Gott. Rec. Vol. V. p. 114.): „Quae de Massiliae urbis sua aetate conditione, de scholis ibi florentibus ac litterariis institutis narrat, peregrinatorum, qui ibi commorati erant, narrationibus deberi res ipsa docet.“ — Guesnaj. I, 25. et p. 623 sqq.

brie et sapienter custodias, quaesitus obducit declamationum splendor, sive obscura in locutionibus calamistrandis diligentia; tum in verbis quidem est aliquid vim et magnitudinem imitans et majestatis umbra, animus autem sine nervis et pusillus. Scimus enim ex Seneca, Juvenali et Plinio, potissimum e Frontone nuper edito, quid fuerint rhetorica illa studia, et quam facile degeneraverint. In difficiliore etiam discrimine posita est philosophia, ut inter scopulos utrinque minantes rectum et tutum iter teneat. Sed est horum temporum et hominum, ut vel in rebus ab omni vita alienissimis desudent, vel ab iis, quae animum vere augeant, mores emendent, ad abditas quasdam quaestiunculas confugiant, vel inani captionum subtilitate omnia agant. Ut verbo dicam: ad animos omnibus modis excolendos dici non potest, quantum illud genus philosophiae et rhetorices praestet; sed veram philosophiam, eloquentiam genuinam inde gigni et propagari nego.

Philosophos, rhetores, medicos ad docendum publice conductos habebant [303]); unde credibile fit, probatos, antequam reciperentur, a magistratibus esse atque ita publica auctoritate instructos [304]). Ta-

303) Strab. IV. p. 181. (273.), ubi Gallos etiam hoc imitatos fuisse dicit.

304) Conjectura haec est Khunii, Diss. laud. p. 11.

men privatis etiam magistris passim juvenes utebantur. Tantam hi doctores, ex quibus aliquorum nomina supersunt, famam nacti sunt, ut vel Atheniensibus ab nonnullis praeferrentur [305]). Ceterum instituendorum juvenum varii modi iidem fuisse videntur, qui ex aliis ejusmodi litterarum sedibus traduntur [306]). Et graeca et latina [307]) lingua juvenes instruebantur. Ingenti tamen prae ceteris studio et aemulatione rerum medicarum explorationi deditos fuisse, qui Massiliae vivebant, medicos, e contentione Crinae et Charmidae apparere videtur [308]).

Brevi haec studia Gallos etiam incenderunt; sed de *Caesarianis* fere temporibus, quaecunque de Massiliensium institutorum in Gallos transitu memo-

---

305) Strab. l. l. Singula v., praeter scriptores de Massilia, ap. Kriegkium *de peregrinationibus Romanorum academicis*, in Martinii thesauro dissertatt. historicar. T. III. P. 2. p. 302-311.; nomina vero *Sophistarum*, uti vocabantur, in: *Histoire litteraire de France*. Vol. I.

306) Philosophos in porticu disputantes ostendit marmor ap. Grosson. p. 151. cf. 179.

307) Ob Romanorum ibi degentium ingentem copiam per se pateret; sed Quintilianus (II, 4. extr.) etiam narrat, L. Plotium, clarum doctorem Massiliensem, postquam Romam concesserat, latine docuisse.

308) V. Plin. XXIX. §. 5. Cf. Sprengelii *Gesch. der Medicin*, T. II. p. 13.

rantur, valere, et res docet, et Strabonis verba [309]). Inde in contractuum adeo et pactorum formulis Graecis litterarum signis utebantur [310]).

Lingua graeca, dialecto ionica primitus locutos fuisse Massilienses apparet; sed postmodum et Romana et Gallica lingua invecta est; unde Varro *trilingues* eos appellat [311]). Graecae linguae, utpote principis, etiam hodie multa vestigia, atque adeo reliquiae supersunt [312]).

---

309) „ὥςϑ᾽ ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρότερον τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευτήριον, καὶ φιλέλληνας κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, cett. v. omn. Reynier. p. 22 sq. — De *scholis Gallicis* uberrimus est Arntzenius ad Eumenii Orat. pro instaur. schol. c. III. §. 2.

310) Ita capienda verba Strabonis. V. intelligentissimam notam Mori ad Caes. B. G. I, 29.; adde Oberlinum ad VI, 14. et Tzschuck. ad Melam V. III. P. 3. pag. 49 sq. et quos laud. Burtonus, *Graecae linguae historia* (Lond. 1657.) p. 19 sq. unde Hellenismus in lingua Galloromana! Aliter rem expedire voluit Martin. T. I. p. 8 sq. cum Serpettio de Marincourt. T. III. p. 416 sqq.

311) Ap. Hieronym. in prooem. ad Galat. II., et Isidor. Origg. XV, 1. p. 201. Super hoc dicto extat Chr. Guil. Fr. Walchii Diss. in Actis Soc. Lat. Jenens. T. III. p. 115-125., prolixe scripta; §. 6. facilem locum Cic. pr. Flacc. 26 perversissime intelligit et alia quaedam negligenter dixit. Cf. Guesn. I, 26. et Johannsen. p. 86-93.

312) Jam monuerant V. D. in *Mém. de l'Acad. des inscr.* T. XXIII. p. 160. et Grosson. p. 210. Nomina piscium Graeca, Massili-

De plastica arte, de architectura et pictura a scriptoribus nihil memoriae proditum est; neque ego ex tam diversorum temporum monumentis disjectis et rudissime delineatis firmum judicium mihi arrogo [313]).

E vestigiis ad nostrum tempus delatis probabiliter etiam aliqua *de ritubus Massiliensium, de vitae consuetudine, vestitu, familiis ibi degentibus* cett., disputari possent, sed in publicis rebus subsistere placuit.

---

ensia et Gallica comparat Guysius, *Voyage en Grèce* p. 207 sq. unde Graecae originis esse Massiliensia apparet. Mirationem vero efficit, si vera est, narratio Comitis de Thessan (in *Corps d'extraits de Romans de chevalerie*, T. I. praef. p. XIII. not.), patrem ipsius vindemitores audivisse modulata voce carmina cantantes, quorum sententiam non intelligerent, et exploratione instituta *Pindaricas quasdam strophas* in iis detexisse.

313) Praeter Grossonem quaedam habes ap. Grivaudium supra laudatum, in Millinii *monuments inédits*, plura in tabulis ad peregrinationem Mylianam pertinentibus. — Tabulae 23 et 24. Grossonianae antiquae non sunt, sed e temporibus Francisci I. regis; v. Mylius Vol. IV. P. 1. p. 143.

Pag. 72. lin. 13. multi: *corrigas* mulli.